JOAN.
DESPAUTERII
SYNTAXIS,

A

SEBASTIANO NOVIMOLA
Duisburgensi in absolutissimam
Methodum redacta.

Ad prototypum collata & aucta, in usum studiosæ Juventutis.

Item Libellus de Reciprocis, ac ordine in declaratione Grammaticâ servando.

Accessit & ERASMI ROTERODAMI de ratione studij Paræneſis.

Editio Novissima.

GLASGUÆ,
Excudebat ROBERTUS SANDERS,
Civitatis Typographus,

M. DC. LXXII.

SEBASTIANUS NOVIMOLA Duisburgensis, Henrico Riswichio præclaræ indolis adolescenti.

S. P. D.

QUANTA, optimæ spei adolescens, Joannis Despauterij hâc causâ quòd summam Grammatices carmine complexus est, sit præstantia, ac utilitas: omnium rectè instruendæ pubis artificum suffragia comprobant. At neminem qui ejus opera vel unquam vidit, ignorare arbitror, quàm in oratione solutâ non observaverit Horatianum illud: Quicquid præcipies, esto brevis. Quum autem tot Scholis sit receptus, & vix ullus tum discipulus, tum etiam præceptor reperiatur, qui ex immodicâ commentariorum diffusione nauscam contrahat: diu summis desiderijs aliquem expectavi qui syntaxin diligenter acciſam in communem utilitatem exhiberet. Quod cùm diu multúmque expectarem, nec ullius industriâ aut labore votis redderer compos, existimavi, quod ab alio expectabam, me posse. Æsopici segetum domini exemplo arreptâ falce, tandem proprias manus operi admovi, ut ex horridâ, in quâ non sine tædio, quotidie versarer sylvâ; spinas resecarem: expeditiorémque studiosis ad metam properantibus pararem viam. Hunc nostrum, mi Henrice, pro tua singulari modestiâ, boni consule conatum, ac perge, quæso, divinâ ingenij tui maturitate enitì, ut tuorum omnium de te expectationi respondeas. Vale Colonia ex Gymnasio Montano. Anno 1533. decimo quarto Calend. Aprilis.

GRAM

GRAMMATICÆ Latinæ SYNTAXIS.

Quid sit Grammatica, & quæ ejus partes.

GRAMMATICA est Ars rectè loquendi, scribendique rationem tradens: quæ, quia à literis incipit, quas Grammata vocant Græci, ideo ab ijs nomen habet.

Grammaticæ partes vulgò quatuor sunt: Orthographia, quâ rectè scribere docemur: Prosodia, quæ syllabarum quantitates, carminum & accentuum notitiam tractat: Etymologia, quæ accidentia vocum explicat, potissimum ea quæ originem & flexionem notant: Syntaxis est congrua dictionum oratione compositio, ad probatissimorum auctorum usum, & imitationem conformata.

Syntaxis est duplex: Perfecta vel justa, quæ sequitur communes regulas, & præcepta. Figurata, quæ à regulis communibus recedit: & anomala dicitur.

Perfecta Syntaxis duplex est: Intransitiva, Transitiva.

Intransitiva syntaxis est, quando una dictio concordat cum eâ in accidentibus quibusdam; cujusmodi sunt, Genus, Numerus, Casus, Persona; & Grammaticis Concordantia vel Convenientia appellatur.

Transitiva est, quando dictio regit certum casum: Et dicitur Exigentia, vel Regimen, ut Amo literas. Verbum activum vel transitivum hic, regit accusativum literas.

Omnes partes orationis regunt præter Conjunctionem: Oculi Domini super Justos. Hæc volucrum. Ama Deum. Satis vini, Amans Deum. Apud patrem. Heu me! Tres istorum partes regunt & reguntur, Nomen, Pronomen, & Participium, quia casus tantum regitur. Verbum solum habet proprie casum. Sola Conjunctio nec regit, nec regitur, suam naturam servans.

A fronte adsciscit casum pars unica, Verbum.

A tergo pars quæque regit: Conjunctio *nusquam*.

Sed de Regimine plura, post Concordantiam.

Concordantia est triplex, Adjectivi & Substantivi, Relativi & Antecedentis, Verbi cum Nominativo à fronte recto. In hac ultima concordantia, quia etiam est regimen, de eâ tractabimus in regimine nominativi.

GRAMMATICES DESPAUTERIANÆ

Liber Octavus in Methodum redactus, de Concordantia & Regimine.

Adjectivi & Subſtantivi Concordantia.

MObile cum fixo, genere & caſu, numeroque
Conveniat: nomen ſic vult cognomini adeſſe.

Adjectivum & Subſtantivum eſſe debent ejuſdem generis, caſus & numeri: *Amicus certus in re incertâ cernitur. Malum corvi, malum ovum.* Adjectivum eſt quod ſubſtantivo indiget ad ſenſum perfectum. Triplex eſt adjectivum: Nomen, ut bonus, Pronomen: ut meus, Participium, ut factus. Adjectivum vocavi mobile, quia de genere in genus movetur. Subſtantivum eſt, quod adjectivo ſubſtat. Id fixum vocatur, quia firmum eſt, nec movetur de genere in genus.

Annotatiuncula.

Pro ſixo neutrum capitur cum mobile ſæpe,
Abſtractum Nomen, per res pars atque reſolve.

Quod dicit Cicero: *Omnium rerum mors eſt extremum*, datam regulam non impugnat, quia adjectivum in neutro genere ſæpe fit ſubſtantivum, & plerumque declaratur, vel per nomen res. Virg. -- *Varium & mutabile ſemper fœmina.* .. eſt res varia & mutabilis. Virg. *Fama malum, quo non aliud velocius ullum.* i. res mala. & Ovid. *Turpe ſenex miles, turpe ſenilis amor.* i. res turpis. Vel per nomen pars, ut frigidiſſimum hominis eſt cerebrum: id eſt pars frigidiſſima, vel per nomen quod Dialectici abſtractum vocant. Servantiſſimus equi, id eſt æquitatis.

Plura dais fixo adjectivâque non ſine nexu.
Pronomen, numerum gentilia, ſignaque deme.

Plura adjectiva non recte uni ſubſtantivo tribuuntur, nisi interpoſita conjunctione. Vir bonus & ſapiens. Niſi gentilia ſint: ut Cretenſes omnes ſunt mendaces: Aut numeralia

neralia. Virg. 3. Ecl. *Aurea mala decem misi, cras altera mittam.* Sic pronomina. Rusticus ille tuus, & signa cujusmodi sunt universalia, particularia, interrogativa, partitiva. *Omnis avarus eget. Solus sapiens est dives.*

Tu debes fixo præponere mobile ferme.

Excipe gentile, & cum transit, participiúmve.

Adjectivum substantivo ferè præponitur: ut dulce poetum. Excipe, si adjectivum sit gentile: ut *Buchananus Scotus* 2. Cum tranfitionem habet annexam: ut *vir imperitus rerum.* 3. Cum adjectivum est participium: ut *Præceptor nebulans docet.*

Nomen sic vult cognomini adesse.) Nomen & cognomen concordant in genere, casu & numero, sicut adjectivum & substantivum: ut Pontius Pilatus, Simon Petrus.

Idem de prænomine & Agnomine dicendum est; ut Marcus Tullius Cicero, Publius Virgilius Maro, Scipio Africanus. Quatuor sunt igitur propriorum nominum species, Nomen, Prænomen, Cognomen, Agnomen. Nomen est proprium singulorum vocabulum: ut Pontius, Tullius: Virgilius, Simo. Prænomen est, quod honoris, vel discriminis causâ præponitur: ut Publius, Titus. Cognomen est familiæ & cognationis nomen: ut Cicero, Maro, Naso, Scipio, Nero, Pilatus, Cornelius. Agnomen est, quod ab eventu quodam acquiritur: ut Naso à nasi magnitudine. Cæsar à cæso matris ventre. Africanus, à devicta Africa: Agnomina sæpè abeunt in cognomina, cognomina verò deinde in nomina. Præterea cognomen & cognomentum pro agnomine aliquando capimus. Cic. *Scipio ille cui Africano fuit cognomen.*

De cognominibus attribuendis, præceptum 1.

Cognomina sumpturus à locis, aut etiam aliunde dices, Terentius Afer, non de Africa. Neque præpositio de additur cognomentis à loco originis vel dominij sumptis. Sed si fieri possit, locum adjectivè efferimus. Baptista Mantuanus, vel à Mantuâ Comes Fermilodunensis vel à Fermiloduno. Siquidē Doctorum usus præpositiones a, ab, è, ex, ad natale solum exprimendum recipit. Plaut. *Philocrates ex Aulide.* Terent. *Anus è Corintho*: *Theophrastus è Lesbo*, vel *Lesbius.*

Præceptum secundum ex Erasmo.

Barbara & sono absurda vocabula, vel hominum, vel locorum, vel familiarum, aut Latinis, Græcisve vocibus reddenda sunt, aut in Latinam faciem commodè deflectenda, ut ne idiotis etiam vulgatum nomen agnoscatur: ut eum pro Barbir, quod vulgò tonsorem sonat, Barbirium dicimes: pro Busseid Bussidium, pro Lang Langium, pro Despauterium Despauterium.

Concordantia relativi & antecedentis.

Pone Relativum cum Præcedente, in eodem
Et genere, & numero; nec non personâ in eâdem.

Relativum & Antecedens concordant in genere, numero & persona: Jucundissima voluptas est, quam rarior usus commendat. Horat. *Grata superveniet, quæ non sperabitur hora.* Posui particulam in personâ; quia licet relativum pronomen nullius sit personæ, tamen statim ut cum antecedente ponitur, capit antecedentis personam. Et ita semper convenit in persona, ideò dices. *Tu laudandus es qui studes*: non qui *studet*: quia sic vel Relativum ab antecedente, vel verbum à nominativo à fronte recto in personâ discordaret.

Annotatiuncula.

Tu benè Præcedens tacitum quandoquè videbis.

Eleganter interdum antecedens intelligitur. Hor. l. 2. epist.

Argentum & vestes Gætulo murice tinctas,
Sunt qui non habeant: est qui non curat habere.

Juven. *Sunt quibus est sola vivendi causa voluptas.*

Relativum quid sit, & quotuplex.

Relativum est quod rem antedictam refert, id est repetit ut qui, quæ, quod: Duplex est Relativum, Substantiæ & Accidentis.

Relativum substantiæ quid, & quotuplex.

Relativum substantiæ est quod refert antecedens substantivum. Publ. *Homo qui in homine calamitoso est miserim meminit sui.*

Duplex est Relativum substantiæ, similitudinis & diversitatis.

Similitudinis est, quod idem cum suo refert antece-

& sunt hæc, qui, quæ, quod, is, hic, iste, ipse, sui, ille, idem: ac de his solis intelligenda est hæc regula. Diversitatis est, quod refert antecedens diversum quidem à consequente, cum quo concordat in genere, numero & casu: sed tamen sub eodem genere, vel specie naturæ comprehensum: ut *Amo laurum & cæteras arbores*: hinc infertur laurum esse arborem, verùm à cæteris arboribus diversam. Relativa diversitatis sunt, alius, alter, reliquus, cætera, cæterum, cæter aut ceterus non dicitur. His relativis nunquam utimur, nisi ostendere velimus, antecedens ejusdem esse generis, vel speciei cum eo quod consequitur.

Cic. *Expertes rationis sunt equi, boves, & reliquæ pecudes.*

Relativum accidentis quid.

Relativum accidentis est, quod refert antecedens adjectivum: ut, *Sum albus, qualis est pater.* Hujusmodi sunt qualis, quantus, quot, quotus, quotennis, quotuplus, quotuplex, cujus, cujas. Ponit hæc Priscianus, quorum tamen quædam nisi apud Grammaticos nusquam legi. Hîc rursum sciendum est, relativa accidentis ad datam regulam non pertinere: quia semper cum consequente concordant in genere, numero & casu: *Catharina est pulchra qualis est ejus filius*, vel *quale est ejus mancipium.* Idem faciunt relativa substantiæ diversitatis, ut eorum definitio indicat, & unum similitudinis suus: ut Virg. *Trahit sua quemque voluptas.* Publius Mimographus. *Avarus ipse miseriæ causa est suæ.* Relativum & Antecedens in casu non conveniunt, nisi ab eodem verbo regantur, ut sequitur.

De relativo regula oratoria prima.

Quando Relativo Præcedens subdis, eodem
Ponatur casu; quia verbo dantur eidem.
Quem scribo librum, bonus est: ornatiùs aio,
Quàm *librum quem*: nam rarò reperimus in usu.

Quando Relativum qui, quæ, quod, præponitur antecedenti, sic ut antecedens cum eodem verbo construatur, Latinè & eleganter in eodem ponuntur casu: ut Quas ad me dedisti literas, fuerunt elegantes & jucundæ. *Quam legis historiam, est lepida.* Terent. *Quas credis esse has, non sunt*

Præceptum secundum ex Erasmo.

Barbara & sono absurda vocabula, vel hominum, vel rum, vel familiarum, aut Latinis, Græcisve vocibus red de sunt, aut in Latinam faciem commodè deflectende, idiotis etiam vulgatum nomen agnoscatur: ut eum pro bir, quod vulgò consorem sonat, Barbirium dicimes; Busseid Bussidium, pro Lang Langium, pro Desp Despauterium.

Concordantia relativi & antecedentis.

Pone Relativum cum Præcedente, in eodem
Et genere, & numero; nec non personâ in eâdem.

Relativum & Antecedens concordant in genere, num & persona: Jucundissima voluptas est, quam rarior commendat. Horat. *Grata superveniet, quæ non sperabi hora.* Posui particulam in personâ; quia licet relativum le nullius sit personæ, tamen statim ut cum antecedente nitur, capit antecedentis personam. Et ita semper conve in persona, ideò dices. *Tu laudandus es qui studes*: non *studet*: quia sic vel Relativum ab antecedente, vel verb à nominativo à fronte recto in personâ discordaret.

Annotatiuncula.

Tu benè Præcedens tacitum quandoquè videbis.

Eleganter interdum antecedens intelligitur. Hor. l. 2. epi

Argentum & vestes Gætulo murice tinctas,
Sunt qui non habeant: est qui non curat habere.

Juven. *Sunt quibus est sola vivendi causa voluptas.*

Relativum quid sit, & quotuplex.

Relativum est quod rem antedictam refert, id est rep ut qui, quæ, quod: Duplex est Relativum, Substanti Accidentis.

Relativum substantiæ quid, & quotuplex.

Relativum substantiæ est quod refert antecedens subst tivum. Publ. *Homo qui in homine calamitoso est miseri meminit sui.*

Duplex est Relativum substantiæ, similitudinis & diversitatis.

Similitudinis est, quod idem cum suo refert antec

& sunt hæc, qui, quæ, quod, is, hic, iste, ipse, sui, ille, idem: ac de his solis intelligenda est hæc regula. Diversitatis est, quod refert antecedens diversum quidem à consequente, tamen quo concordat in genere, numero & casu: sed tamen sub eodem genere, vel specie naturæ comprehensum: ut *Amo laurum & cæteras arbores*: hinc infertur laurum esse arborem, verùm à cæteris arboribus diversam. Relativa diversitatis sunt, alius, alter, reliquus, cætera, cæterum, cæter aut cæterus non dicitur. His relativis nunquam utimur, nisi ostendere velimus, antecedens ejusdem esse generis, vel speciei cum eo quod consequitur.

Cic. *Expertes rationis sunt equi, boves, & reliquæ pecudes.*

Relativum accidentis quid.

Relativum accidentis est, quod refert antecedens adjectivum: ut, *Sum albus, qualis est pater.* Hujusmodi sunt qualis, quantus, quot, quotus, quotennis, quotuplus, quotuplex, cujus, cujas. Ponit hæc Priscianus, quorum tamen quædam nisi apud Grammaticos nusquam legi. Hîc rursum sciendum est, relativa accidentis ad datam regulam non pertinere: quia semper cum consequente concordant in genere, numero & casu: *Catharina est pulchra qualis est ejus filius*, vel *quale est ejus mancipium.* Idem faciunt relativa substantiæ diversitatis, ut eorum definitio indicat, & unum similitudinis suus: ut Virg. *Trahit sua quemque voluptas.* Publius Mimographus. *Avarus ipse miseriæ causa est suæ.* Relativum & Antecedens in casu non conveniunt, nisi ab eodem verbo regantur, ut sequitur.

De relativo regula oratoria prima.

Quando Relativo Præcedens subdis, eodem
Ponatur casu; quia verbo dantur eidem.

Quem scribo librum, bonus est: ornatiùs aio,
Quàm *librum quem*: nam rarò reperimus in usu.

Quando Relativum qui, quæ, quod, præponitur antecedenti, sic ut antecedens cum eodem verbo construatur, Latinè & eleganter in eodem ponuntur casu: ut Quas ad me dedisti literas, fuerunt elegantes & jucundæ. *Quam legis historiam, est lepida.* Terent. *Quas credis esse has, non sunt*

veræ nuptiæ. Idem. *Populo ut placerent, quas fecissent fabulas.* Quint. *Non sustineo eosdem expetere, ne, quos porrexerim cibos, venena fiant.* Si autem antecedens in eodem casu præcedat, erit quidem oratio figurata, minùs tamen elegans, & rarior apud probatos. Virg. Æn. 1. *Urbem quam statuo, vestra est.* Orator dixisset, teste Vallâ, Quam urbem statuo vestra est. Plaut. *Naucratem, quem convenire volui, in navi non erat.* Hanc orationem, & omnes huc pertinentes sic expone, per expressionem alicujus subauditæ particulæ. Quem Naucratē convenire volui, is in navi non erat. Idem. *Patronus quis vobis fuit futurus, perdidistis.* Ordinato, qui patronus vobis fuit futurus, eum perdidistis. Istā ordinationē tradit Donatus.

De Relativo regula Oratoria secunda.

Si Referens ponas inter generum variorum
Casus, haudque sequens fuerit proprium, dabis ut vis:
Sin proprium fuerit, Referens conforme sit illi.

Quotiescunque Relativum qui, quæ, quod, ponitur inter casus diversorum generum, & sequens fuerit nomen appellativum, poterit concordare cum utrolibet, si verò sequens sit nomen proprium, cum eo concordabit. Prioris partis exempla. Cic. primo de legibus. *Animal plenum rationis & consilij, quem vocamus hominem.* Idem. *Quibus tandem gradibus Romulus in cœlum ascendit?* Hisne quæ isti appellant bona? Ovid. 1. Met. v. 7. *Ante mare & terras, & quod tegit omnia cœlum, Unus erat toto naturæ vultus in orbe, Quem dixêre chaos,* &c. Posterioris patris testimonia. Sallust. *Est locus in carcere quod Tullianum appellatur.* Cic. *Carcer, quæ Latumiæ vocantur.* Invenitur interdum relativum convenire cum præcedente, licet sequens casus sit nomen proprium. Cic. *Propiùs à terrâ Jovis stella fertur, quæ Phaëthon dicitur.* Notandum relativum in neutro genere totam orationem referre. Terent. *Quod beatum isti dicunt, eo rem nunquam habui.*

De Conjunctionibus & de Interrogativis.

Consimiles optant casus Conjunctio, Quærens,
Consimilesque modos, si non regimen varietur.

Conjunctiones copulativæ & disjunctivæ, cum his etiam quatuor

quatuor, Quàm, nisi, præterquam, an, similes casus & modos copulant: Interrogativum etiam & responsivum in eodem casu conveniunt. Vir bonus & sapiens. Perser & obdura. Nulli placet præterquam sibi. Aliæ quædam voces eandem copulandi vim habent, tanquam, licet, sicut, quasi, velut, &c. Amandus pater, licet difficilis.

De Interrogativis.

Cui præceptori operam dedisti? Erasmo. Quo morbo fuisti impeditus? Febriculâ. Signanter dictum. *Si non regimen varietur.* Quando enim dictio diversos exigit casus tunc regula locum non habet. Quanti emisti librum? Asse & minoris. Cujâ interest? Præceptoris. Verum ubi nullus est casus, in casu non conveniunt. Quando vel peridem verbum respondemus, quo interrogamur. Ter. *An non dixi hoc futurum? Dixti.* Vel per adverbia. Etiam, ita est. Sic est, sanè, quidem. Aliquando per verbum faciam vel factum. Terent. *Chærea tuam vestem detraxit tibi? Factum. Et eâ est indutus? Factum.*

Quid Interrogativum.

Interrogativum est rei dubiæ vel tanquam dubiæ postulativum. Responsivum per quod ad interrogativum respondemus.

Regula aptè respondendi.

Interrogativis danda sunt debita responsiva: ut Quis es? Petrus. Quid es? Homo. Qualis es? Albus, niger, doctus & similia qualitatem dicentia, Quantus es? Bipedalis, & cætera quantitatem continuam significantia. Quotus es? Primus, secundus, &c. Quot ludunt? Tres, quatuor, &c. Qualem equum emisti (Valla dicit rectè responderi) oblongum, lato pectore, brevi alvo: quia qualitas, magis quàm certa quantitas significatur. Interrogatus qualis es, si reddis, homo, ineptè loqueris.

De Regimine.

POst concordantiam de casuum Regimine agendum est, & quidem hoc ordine, ut si qua dictio diversos regat casus, tota declaretur in prore casu, nec alibi repetatur, quò brevitati simul cõsulamus, & levemus ediscendi laborẽ. Aspiret cœptis mitissimus DEUS noster JESUS CHRISTUS.

Sex sunt casus. Nominativus, Genitivus, Dativus, Accusativus, Vocativus, & Ablativus. De Vocativi Regimine, quia à paucis regitur particulis, in constructione Nominativi obiter pauca dicemus, ubi de adverbijs, & interjectionibus agetur. Sunt qui ponunt septimum casum, is in ablativo comprehenditur: & octavum, is sub dativo continetur.

Regimen Nominativi.

Nominativus in oratione, vel regitur, vel ponitur absolutè. *Dominus noster Jesus Christus, is est veritas.* Regitur autem Nominativus duobus modis. Figuratè & sine figurâ: Figuratè ut *Tu & Petrus luditis.* Sine figurâ, Tu ludis. Sine figurâ, fronte, & à tergo; ut Deus regnat, vocor Joannes: Figuratè vero octo regitur modis: per Appositionē, per Evocationem, per Conceptionem, per Prolepsin, per Zeugma, per Anaptosin, per Eclipsin, per Syntheſin ratò utendam. Exempla videbuntur suo loco. Hæc præmittere placuit, quia præter alia commoda, rationem aperiunt, ob quam hæ figuræ, à quibusdam ad finem Syntaxeos rejectæ, in constructione Nominativi tractentur.

Regula Nominativi prima.

Ante capit Rectum personâ convenientem
Et numero, verbum quod personale vocatur,
Nec non finitum. Rectum persæpe tacemus.
Sæpe loco illius quid pono. Ne puer uni
Pluralem dones sermonem, non honor est hic,
At de me solo numerus dicetur utervis.

Omne verbum personale finiti modi, regit ante se expressè vel subauditè, ejusdem numeri & personæ, nominativum, vel aliquid pro nominativo, ut Ego scribo, tu legis. Virg. *Fama volat.* Nos canimus. Ovid. *Tempora labuntur.* Pluit, tonitruat. Publius. *Deliberare utilia mora tutissima est.*

Utiles annotatiunculæ in datam regulam.

Dixi personale verbum, quia impersonale ante se nominativum non recipit, ut statur, curritur, pœnitet me peccati.

DIXI finiti modi, quia infinitivus ante se non nominativum, sed accusativum recipit, nisi poëticè vel historicè pro præterito imperfecto indicativi modi ponatur. Ter. *Omnes*

mihi invidere & mordere clanculum, ego autem floccipendere: id est omnes mihi invidebant & mordebant clanculum, ego autem floccipendebam. Vel, omnes cœperunt invidere & mordere, ego autem cœpi floccipendere. Cicer. *Hic judices videre, stomachari, atque acerbè ferre patronus, causam sibi eripi.* Dixi *vel subaudite*, quia tribus modis nominativus an te verbum intelligitur. Primò in omni verbo primæ vel secundæ personæ potest nominativus intelligi.

Ovid. *Et si quid faciam nunc quoque quæris, amo.*

Idem. *Venturæ memores jam nunc estote senectæ:*
Sic nullum vobis tempus abibit iners.

Rarò exprimitur prima persona vel secunda, nisi fuerit Emphasis aut Discretio: Nos hominē accusavimus, vos damnâstis. Emphasis est figura altiorem præbens intellectum, quàm quem verba per seipsa declarant, ut Æolus ad Junonem. Virg. 1. Æneid. *Tu mihi quodcunq; hoc regni, tu sceptra Jovémque*
Conciliás: tu das epulis accumbere divûm.

Secundò, in verbis tertiæ personæ pluralis numeri intelligitur homines: veluti *Lolium*, ut aiunt, *facilè crescit, difficulter perit.* Sic ferunt, perhibent. Ovid. *Teque ferunt iræ pœnituisse tuæ.* Tertiò, in verbis exceptæ actionis intelligitur nominativus Deus vel natura: ut pluit.

Quid verbum exceptæ vel exemptæ actionis.

Verbum exceptæ actionis est, cujus actus Deo vel naturæ tribuitur: ut pluit, fulminat, quia solus Deus verè dicit, Ego pluo, fulmino, tono, hyberno, pro hyemem facio. Apud Poëtas nominativus aliquando exprimitur. Theocritus apud Philelphum.

Fidere Batte decet, melius cras forsan habebis:
Sperandum est vivis, non est spes ulla sepultis.
Nunc pluit, & clarus nunc Jupiter æthere surgit.

Hæc exempti actus impersonalia dantur.

Fulminat atque *tonat, ningit, pluit* atque coruscat,
Vernat & *æstivat gelat, autumnátque, hyemátque,*
Hybernat, quandoque *tonitruat*, atque *pruinat,*
Grandinat & *rorat, nocteſcit*, sive *diescit,*
Lucescit, simul *aurorat*, conformia junges.

Postremò adjeci regulæ, *vel aliquid pro Nominativo:*

Quinque

Quinque enim modis ponitur aliquid loco Nominativi. Primò, infinitivus sine casu. Cato. *Legere & non intelligere, negligere est.* Quicquid ponitur loco nominativi, est neutri. Persius. *Scire tuum nihil est, nisi te scire sciat alter.* Secundò, infinitivus cum accusativo ante se: *Tyrannos vivere non expedit Reip.* id Dialectici vocant Dictum. Tertio, infinitivus cum aliquo casu post se. Pers. *pulchrum est digito monstrari, & dicier hic est.* Terent. *verba dare est difficile. Est pij patris pio succurrere gnato.* Quartò, Appellatum: ut, *Quòd studes, est tibi conducibile.* Appellatum, est tota oratio nominativi & verbi, præcedente tali particula, quod, ut, ne, aut simili. Multò ornatiùs per Dictum, quàm per Appellatum loquimur. Diligenter igitur discant pueri hoc in illud mutare hâc viâ: Gaudeo quòd tu benè vales. Gaudeo te benè valere. Quintò, quædam adverbia funguntur nominativi officio: ut partim virorum sunt occisi. Mart. *Cras te victurum, cras dicis, Postume, semper. Dic mihi, cras istud, Postume, quando venit?* Sunt qui dicunt dictionem technicè, seu materialiter sumptam, pro nominativo poni: ut Amo est verbum, sed talis dictio est verum nomen indeclinabile neutri generis.

Unum pluraliter non esse compellandum.

Ne puer uni pluralem, &c. Uni honoris causa non est pluraliter loquendum: ut Rogo te amice, venias ad prandium meum, non autem rogo vos amice ut veniatis. Sed de seipso potest quis tam pluraliter quàm singulariter loqui. Quint. *Utinam hoc mihi fata præstarent, ut residuum laboranti animæ in tuo poneremus amplexu.* De his Erasmus sic ait: Si probatos Grammaticos audimus, in primâ personâ, mutatur numerus personæ, aut modestiæ aut festivitatis, aut Euphoniæ gratiâ. In secundâ personâ nunquam, nisi cum genus significamus, non personam. In tertiâ, invidiæ causâ rarò. Exempla primæ personæ. Cic. ad Brutum. *Populo imposuimus, & oratores visi sumus.* Virg. *O Melibœe, Deus nobis hæc otia fecit.*

Ovid. Ep. 1. *Quæcunque æquor habet, quæcunque pericula tellus, Tam longæ causas suspicor esse moræ: Hæc ego dum sæpè meditor, quæ vestra libido est, Esse peregrino captus amore puto.*

pores. Ad ſolum Ulyſſem ſcribens Penelope taxat hic totum virorum genus. Exemplum tertiæ perſonæ. Ter. *Cum ad uxores ventum eſt, tum fiunt ſenes.* Nauſiſtrata unum Chremetem per invidiam ſenes appellat.

Appendix.

Imperat ille modus præponit qui ſibi quintum.

Vocativi (qui ſemper ſunt ſecundæ perſonæ) imperativis præponuntur. Virg. *Eripe nate fugam, finemque impone labori.* Aliquando ſubauditur, *Ferte citi flammas,* ſub. vos, Præterea quando uni loquentes, ad plures ſermonem dirigimus, poteſt locutio eſſe pluralis. Virg. *Vos O Calliope, precor, adſpirate canenti.* Compellat Calliopen ad omnes muſas ſermonem dirigens, teſte Landino.

REGULA ELEGANTIÆ.

Rectos ſi binos numerûm verba variorum
Præponas, verbum quadrabit proximiori.
Omnia pontus erat, dic, & *domus antra fuerunt.*
At veſtes ſunt lana, feras: *eſt lana caveto.*

Verbum ſubſtantivum poſitum poſt duos nominativos diverſorum numerorum, eleganter conſentit cum poſteriore nominativo.

Ovid. *Omnia pontus erat.* Idem. *Domus antra fuerunt.* Singularis numeri eſt *Domus.* Terent. *Amantium iræ amoris redintegratio eſt.* Ovid. *De arte aman.* lib. 3. v. 111. *Veſtes, quas geritis, ſordida lana fuit.* Hæc tamen elegantia ſæpè non obſervatur. Livius, *Captivi militum præda fuerunt. At veſtes ſunt lana, &c.* Si verbum ſubſtantivum ponatur inter duos nominativos diverſorum numerorum concordabit cum præcedente: ut veſtes fuerunt lana, non veſtes fuit lana. *Sermones ſummi Patris ſunt meditatio juſti.* Aliquando fit contra. Lucan. *Sanguis erant lacrymæ.*

Secunda regula principalis.

Cum Subſtante, Vocans, & vim quod ſervat eorum,
Si ſit res eadem; poſt ſe rectum retinebunt.

Verbum ſubſtantivum, verbumque vocativum, & eorum vim

vim habentia, regunt post se nominativum, qui significatur accipi pro eodem, cum nominativo præcedente explicitè vel implicitè, ut *Deus est omnipotens. Vocor Joannes. Cognominor Despauterius.* Plaut. *Hic vigilans somniat.* Posterior casus non significatur accipi pro eodem: ut in his Gladius est Petri. Pater est Joannis.

Annotatiuncula.

Ut verbum habet ante se aliquid vice nominativi, ita etiam post se: *Furari est peccare*, Cic. *Magis ista servium, si observare est servire*, id est, si observatio est servitus.

Quid verbum substantivum, & quot.

Verbum substantivum est, quod alijs verbis substat in conjugando vel resolvendo: ut Lego, id est sum legens. Legor, lectus sum in præterito. Sum unicum est verbum substantivum. Fio, substantivum non est, ut nec exto, nec existo, de quibus lege Laurentium Vallam.

Vim substantivi verbi habentia.

Triplicia verba habent vim verbi substantivi: primò, passiva, quorum activa regunt duos accusativos pro eâdem acceptos: ut Crederis dives, quia dicimus, credo te divitem. Sic habeor, judicor, æstimor, fio doctus Sallust. *Virtus clara æternaq; habetur.* Ovid. *Quæritur Ægisthus quare sit factus adulter. In promptu causa est, desidiosus erat.* Secundò, multa verba neutra, veluti eundi, manendi, vivendi: ut Concedo domum potus, i. eo. Ovid. *Victa jacet pietas.* Virg. *Astego quæ divûm incedo Regina, Jovisque Et soror & conjux.* Incedere est cum fastu & magno apparatu ire. Seneca. *Tenero ac molli passu gradum suspendimus, nec ambulamus, sed incedimus.* Sedes tristis, curvus, & erectus. Vivo inops. Evado doctus. Dic etiam Evado in doctum virum. Tertiò, plurima alia verba activa & deponentia, quorum non constat certa regula: ut Audivi hoc puer. Feci invitus, melius quam invitè. *Nudus egressus sum de utero matris, nudus revertar.* Hujusmodi nominativi eleganter ponuntur, penè pro adverbijs. Virg. 8. Æn. *Nec minùs Æneas se matutinus agebat.*

Appendix.

Factus, habitus, creditus, & similia ab hujus farinæ verbis participia, post se capiunt casum quem ante se habent ade-

adeò etiam ut, si Vocativi casus fuerint, vocativos casus post se copulent.

Proper. *Lectule divitijs facte beate meis.*

Catul. *Rufe mihi frustra ne quicquam credite amice.*

Appendix altera.

Quotiescunque participium verbi substantivi, vocativi, vel vim eorum habentis, ponitur inter duo substantiva, concordabit cum præcedente: ut *Petrus est factus mancipium.* si vero utrique postponatur conforme erit utrilibet. Livius 6. decad. 4. *Ludos Megalesia appellatos.* Idem lib. 9. decad. 3. *Ludi fuerunt Megalesia appellata.* Cicero. *Video amicitiam nostram inimicitias modò factas.*

Quid verbum vocativum, & quot.

Verbum vocativum est quiddam generale, quod per rei nomen præsertim proprium, aliquando etiam commune determinatur, ut Vocor Joannes. Quinque sunt verba vocativa: Nuncupor, appellor, vocor, dicor, nominor. Eorum activa regunt duos accusativos, qui significantur ad eandem rem pertinere. Pub. *Timidus vocat se cautum, parcum sordidus.* Vocativorum verborum vim habent, cognominor, agnominor, inscribor, salutor, baptizor, arguor, &c. ut Cognominor Scipio, Agnominor Africanus. Horat. in arte poet.

Descriptas servare vices, operumque colores,
Cur ego, si nequeo, ignoroque, poëta salutor.

APPENDIX.

Septem modis poteris exprimere quis vel qui vocaris, vocor, dicor, nominor, appellor, nuncupor Petrus, est mihi nomen Petrus, est mihi nomen Petri. Plaut. *Nomen Mercurii est mihi.* Est mihi nomen Petro: hic est elegantissimus. Habeo nomen Petrus. Ovid. *Lactea nomen habet.* Habeo nomen Petri. Author Servius. Habeo nomen Petrum. Idem author est. Sic dicimus, facio, impono, indo tibi nomen Joannes, Joannis, Joanni, Joannem.

Appendix de infinito esse, & similibus.

Esse pares optat casus. Sed non malè dices,
Huic licet esse probum: loquitur sic Quintilianus.

Esse, & alia à verbis utrinque Nominativum habentibus in fi-

infinita, copulant similes casus explicitè vel implicitè, qui significantur accipi pro eodem. De nominativo, ut *Petrus cupit esse doctus.* Cato: *Sperne repugnando tibi tu contrarius esse.* De Dativo, *Nobis non licet esse tam disertis.* Claud. --- *Natura beatis omnibus esse dedit, si quis cognoverit uti.* De accusativo, *Apparet hunc esse servum Domini pauperis.* Apud poëtas Nominativus pro accusativo positus invenitur. Luc. *Tutumque putavit Jam bonus esse socer.* Ovid. --- *Sed enim quia rettulit Ajax Esse Jovis pronepos.* ----

ANNOTATIUNCULA.

In dictis copulantur similes casus explicitè, in sequentibus nominativi & accusativi implicitè. Ter. *Hei mihi! dissa esse Pater ab his qui verè sciunt. Tibi placet evasisse divitem,* subauditur *te*: At si dicas, tibi placet evasisse diviti, nihil subaudies. *Præstat vivere pauperem, quàm injustè divitem,* venustè subauditur generalis accusativus aliquem.

De Nominativo & obiter de alijs casibus figuratè constructis.

Figura est ratio loquendi à vulgari sermone & trito differens; quæ ratione aliqua aut auctoritate nititur: Virg. Æn. 1. *Miratur molem Æneas magalia quondã.* Figuratè dixit Virg. *Dic molem, quæ fuit magalia quondam,* Figura non erit, quit nihil arte novatum, nihil à communi ratione remotum.

Figura est triplex, Dictionis, Locutionis, Constructionis.

Dictionis figura est, quæ fit in Dictione. Quatuordecim figurarum dictionis, ut summatim dicam, hæc natura est, ut dictionem vel augeant: veluti Prosthesis, Epenthesis, Paragoge, Ecthasis, Diæresis: vel minuant, ut Aphæresis, Syncope, Apocope, Systole, Synæresis, Eclipsis, Synalœpha: vel invertant ejus elementa: ut Antithesis, Metathesis. Unde Græco nomine metaplasmi, hoc est, transformationes vocantur. Ecthasis verò non auget dictionem syllabâ sed tempore: In Systole non minuit dictionẽ, syllabam auferens, sed tempus. Virg. *Obstupui steterunntque comæ, & vox faucibus hæsit.* In steterunt artificiosè primè penultimam corripuit, ut subi-

bicum terrorem magis exprimeret. Figura locutionis est, quæ circa loquendi aliquem modum, non circa congruitatis regulam versatur: ut *Sine Cerere & Baccho friget Venus*; est Metonymia, quia inventor pro invento capitur. *Ceres pro pane, Bacchus pro vino, & Venus pro amore.* Figura constructionis est quæ circa Grammaticas constructiones versatur: & sunt novem. Appositio, Evocatio, Syllepsis vel Conceptio, Prolepsis, Zeugma, Antiptosis, Synthesis, Eclipsis, Synecdoche. De hâc ultimâ in constructione genitivi, commodiorem erit dicendi locus.

APPOSITIO.

Apponens conjunge pari casu duo fixa.
Esto res eadem; declaratumque præito.

Si duo vel plura nomina substantiva ad eandem rem pertinentia conjungantur sine conjunctione, erunt ejusdem casus, per appositionem: ut Fratres gemini, fluvius Rhenus, urbs Roma, arbor Morus, mensis Augustus, Marcus Tullius Cicero Orator suavissimus.

Quid appositio.

Appositio est sine conjunctionis medio substantivorum ad eandem rem pertinentium, in eodem casu positio: ut Urbs Roma. Horat. *Et genus & formam regina pecunia donat.*

Verùm cum dico, fluvius & Rhenus, urbs & Roma, non est appositio. Notandum appositionem per omnes casus fieri, quia semper in casu conveniunt, licet genere & numero dissideant. Ovid. 15. Met. v. 116. *Quid meruistis oves, placidum pecus?* Virg. *Ite meæ quondam felix pecus, ite capellæ.*

Substantiva in appositione duobus modis possunt esse diversorum numerorum: Priore, ubi alterum uumero singularicaret: ut urbs Athenæ, Pisces signum, quoniam duo sunt. Virg. --- *Corydon ardebat Alexin Delicias Domini.* --- Posteriore, ubi alterum est collectivum. Ovid.

Turba ruunt in me luxuriosa proci. Idem.
Quid meruêre boves animal sine fraude doloque?

Animal hic collectivum est, sic apud Juvenalem:

--- *quanta est gula, quæ sibi totos*
Ponit apros animal propter convivia natum?

Tribus de causis fit Appositio. Primò, causâ restringendæ

genera-

generalitatis: ut urbs Gandavum, Arbor laurus, Mensis Januarius. Secundò, causâ removendæ æquivocationis: ut *Lignum ardet.* Plin. *Lupum piscem non vidit Italia.* Æquivocum est polysemum; hoc est, dictio diversâ significatione multa significans, ut canis. Tertiò, fit causâ attribuendæ proprietatis: ut *Plato homo doctissimus.*

Appositio declaratur per participium ens, licet parum sit in usu, teste Prisciano: ut Diligo Petrum hominem justum, i. Petrum entem hominem justum. Occurrit etiam uti alterum substantivorum ponatur in genitivo, nempe quod specialius est, ut Oppidum Antiochiæ: *urbs Patavi: terra Italiæ.* Et sic fit regimen.

EVOCATIO.

Si ternam primæ des, totum sit tibi primæ,
Sique secundæ des ternam, totum esto secundæ.
Pauper ego canto: Luca vir maximus audi.

Quando immediatè primæ vel secundæ personæ jungitur tertia, tota oratio est primæ vel secundæ personæ: ut Ego pauper canto, Tu dives trepidas. Dico *immediatè*, quia in Evocatione non potest intercedere conjunctio, estque hæc figura appositio quædam: exigit enim & personas ad eandem rem pertinentes, quarum evocans ab evocatâ declaretur, & præterea resolvi potest per ens, ut Appositio: veluti, Ego *pauper nil timeo*, i. Ego ens pauper, aut qui sum pauper. *Defende me tu vir optimus. Tace tu homo imperitus*, ens subintelligitur, teste Valla, tertio elegantiarum libro.

Quid sit Evocatio.

Evocatio est continua tertiæ personæ ad primam vel secundam reductio: ut ego Joannes sedeo. Virg. *Non omnia possumus omnes.* Quatuor sunt necessaria in evocatione: persona evocans, persona evocata, absentia conjunctionis, & verbum personæ evocanti conforme. Persona evocans est prima vel secunda persona: Sola tertia est evocata. Duplex est Evocatio, explicita & implicita. Explicita est ubi persona evocans, cum evocatâ exprimitur: ut *Ego Petrus scribo. Tu Paulus ludis.* Tit. Liv. *Audi tu populus Albanus.* Implicita est ubi persona evocans subauditur. Cicer. *Trahimur omnes*

laudis ſtudio. *Ave Cæſar ſummus Imperator.* Horat. *Decipimur ſpecie recti pars maxima vatum,* Ovid. *Si qua voles aptè nubere, nube pari.* Cic. *Omnes trahimur & ducimur ad ſcientiam cupiditate gloriæ.* Perſona evocans & evocata tribus modis poſſunt eſſe diverſorum numerorum. Primò, ubi alterum ſingulari numero caret, aut ſaltem heteroclitum eſt: ut Ego deliciæ tuæ canto. Secundò, in collectivis. Ovid. --- *Populus ſuperamur ab uno, Vixque viro.* --- Senſus eſt, nos populus ſuperamur. Virg. *Nos tua progenies, cœli quibus annuis arcem, Prodimur.* --- Tertiò, in diſtributivis. Ovid. *In magnis læſi rebus uterque ſumus.* Perſona evocans (nos) intelligitur, quia ſenſus eſt: Nos uterque ſumus læſi.

Paraſceve ad Conceptionem.

Quæ per &, aut ſocias jungo, dant ritè valorem
Pluralem: ſic *cum* pro conjungente repôſtum,

Duo vel plura ſingularia copulata per conjunctionem, vel per præpoſitionem CUM, pro ET, valent ſæpè dictionem pluralis numeri: ut Ego & tu, i. nos, tu & iſte, i. vos. Petrus & Joannes, id eſt illi. Ideo verbum vel adjectivum, aut relativum erit pluralis numeri: ut *Joannes & Petrus ludunt, quos video. Virgilius & Ovidius ſunt docti.* Exemplum de CUM. Apuleius. *Poſtquam finitum eſt illud Paridis judicium, Juno quidem cum Minervâ triſtes & iratis ſimiles à ſcena redeunt, indignationem repulſæ geſtibus profeſſæ.* Ovid. *Ilia cum Lauſo de Numitore ſati.*

Nota quod conjunctio aliquando intelligitur per Aſyntheton. Terent. *Dum ætas, metus, magiſter prohibebant.* Quandoque multiplicantur per Polyſyntheton: ut *Ego & Petrus, & Paulus currimus.*

Conceptionis Regula.

Perſonam atque genus ſemper dabimus magè dignâ.
Prima quidem reliquis præſtat, ternæque ſecunda.
Maſculeum reliquis præſtat, neutri muliebre.

Copulatum æquipollens uni plurali eſt ejus perſonæ, aut generis, cujus eſt pars dignior, per conceptionem. Exemplum de perſonâ. Ego & tu eſt primæ perſonæ, quia eſt pars dignior: ideo dicemus. Ego & tu diſputamus. Exemplum

de

de genere: Petrus & Anna est masculini generis, cujus est pars dignior copulait Petrus: ideo dicimus per adjectivum masculini generis, Petrus & Anna sunt pij.

(*Prima quidem reliquis præstat*, &c.) Prima persona dignior est secundâ & tertiâ. Secunda vero solum tertiâ. Concipit ergo prima secundam & tertiam, secunda tertiam tantum. Tertia persona, ut indignior nunquam concipit. (*Masculeum reliquis præstat*, &c.) Masculinum genus dignius est fœminino & neutro, quæ ab illo concipiuntur. Fœminium superat & concipit neutrum: ut *Lena & scortum sunt impudicæ.*

Quid Syllepsis.

Conceptio est mediata indignioris ad dignius reductio; ut Ego túque damus. Quinque in conceptione sunt necessaria: Dictio concipiens, dictio concepta, copula, verbum vel adjectivum, concordantia cum dictione concipiente & non conceptâ. Concipere hîc est dignius esse, & ad se trahere. Conceptionis quatuor sunt species: personarum, generum, numerorum, casuum.

Conceptio personarum.

Personalis erit syllepsis, si modò verbum
Rite coaptetur personæ nobiliori.

Conceptio personarum est, in qua persona à persona concipitur: ut *Ego & Cicero valemus*: Et est duplex, directa & indirecta: Conceptio directa est, quæ fit sine *cum*: ut Tu & Petrus luditis: Indirecta est, quæ fit per *cum* præpositionem personæ concipienti adjunctam: ut *Tu mecum gaudemus.* Virg.

--- divellimur inde Iphitus & Pelias mecum.

Conceptio Generum.

Tum generum fiet syllepsis, mobile quando,
Aut referens, generi respondet nobiliori.

Conceptio generum est in quâ unum genus concipit alterum: ut *Mars & Venus capti. Ptolemæus & Cleopatra sunt Reges. Pater & mater sunt amandi, quos jubemur honorare.* Conceptio generum est duplex, explicita & implicita. Explicita est, in qua genus conceptum & concipiens exprimuntur: ut *Joannes ejusque uxor sunt pij.* De Syllepsi generum implicitâ hi sunt versus. Impli-

Implicitam vocites generum Syllepsin, *uterque Est probus*: at debent mas & fœmella notari.

Conceptio generum implicita est, quando de viro & fœminâ loquimur, non expressis concipiente & concepto: ut Uterque est probus, de Petro ejusque uxore. Uter parentum horum est mortuus. Semper oportet loqui de viro & fœmina, alioqui nulla esset figura. Genes. *Erat uterque nudus*, de Adam & Heva dicitur. Virg. de Cupiditate & Venere. Æn. 4.

Una dolo divûm si fœmina victa duorum est. Ovid. Fast. 3. *Nubere si qua voles, quamvis properabitis ambo,*
Differ, habent parvæ commoda magna moræ.

Conceptio generum implicita fit quinque modis. Primò, per distributivum: Ut uterque est probus, Nullus homo est Græcus. Secundò, per particulare: ut Alter horum loquitur. Tertiò, per demonstrativum: Ut hi sunt Christiani. Quartò, per quæsitivum: ut Quis horum mentitur sexum? Quintò, per substantivum: ut Latona peperit geminos, *viz.* Apollinem & Dianam.

Conceptio casuum.

Syllepsis casûs, per cum connectere verbo
Pluralis primum casum solet atque latinum.

Conceptio casuum est, in quâ Nominativus tertiæ personæ concipit ablativum mediante præpositione *cum*. Virg. 1. Æn. --- *Remo cum fratre Quirinus Jura dabunt.* --- i. Quirinus & frater Remus. In hujusmodi orationibus qualis est, Ego tecum ludimus, magis est personarum conceptio, quàm casuum: ideo dixi nominativus tertiæ personæ.

Conceptio numerorum.

Posterior numerus vult dignior esse priore.

Conceptio numerorum est, ubi plurale concipit singulare: ut Discipuli & Præceptor studijs fatigantur. Milites & Princeps sunt bellicosi. Aldus affirmat plurale debere præcedere ut Virg. --- *Sunt nobis mitia poma, Castaneæ molles, & pressi copia lactis.* Alioqui fieri Zeugma ait.

In conceptionem generum annotatiuncula.

Vix benè dicitur, Calamus & papyrus sunt studioso necessarij, quia in conceptione generum, copularum debet signifi-

significare res animatas, sin minus; Adjectivum ei dabitur neutri generis, per regulam indifferentiæ.

REGULA INDIFFERENTIÆ.

Sint res absque animâ, ponetur mobile neutrum.

Quotiescunque substantiva rerum inanimatarum cujuscunque generis conjunguntur ad adjectivum, vel demonstrativum, vel relativum plurale, ipsum erit neutri generis ferè semper Sallust. *Nox & præda hostem remorata sunt.* Luc. --- *Serpens, sitis, ardor, arenæ, Dulcia virtuti: gaudet patientia duris. Virga tua, & baculus, ipsa me consolata sunt.* Cicer. *Eâdem mente comprehendimus colorem, saporem, odorem, sonum, quæ nunquam animus cognosceret. In promovendis, ætas, maturitas, gravitas morum, literarum scientia sunt inquirenda.* Tit. Liv. *Labor voluptásque dissimillimâ naturâ, societate quadam inter feras naturali sunt innexa.*

Dixi *ferè semper*: quia quando res sunt inanimatæ, fit aliquando conceptio generum, sed rarissimè. Luc. --- *Hinc leges & plebiscita coactæ.* Cicero in som. Scip. *Consilia cœtúsque hominum jure sociati, quæ civitates appellantur.* Sallust. *Fama atque fortuna eorum pares sunt.* Just. *Misericordia in eo & perfidia pari jure dilectæ.* Fit & implicitè indifferentiæ regula, veluti: utrumque est homine utile: scilicet aqua & ignis. Similiter ubi non de multis loquimur, sed multa ubi convenire significamus. Plaut. *Utrumque hæc multiloqua, & multibiba est anus.*

PROLEPSIS.

In partes totum partitur ritè Prolepsis
Cum verbo positum. Tacitam quandoque videbis.

Propter totum cum verbo vel adjectivo congruè constructum in partibus verbum vel adjectivum eleganter intelligitur per Prolepsin: quæ Latinè Præsumptio dicitur. Terent. *Ambo defessi sumus: ego vapulando, ille verberando.* Liv. *Duo reges, alius aliâ viâ, ille bello, hic pace civitatem auxerunt. Vidi duos angelos sedentes, unum ad caput, alterum ad pedes ejus.* Totum est dictio pluralis numeri, ut Homines, aut copulatum, ut Petrus & Paulus: aut dictio collectiva: ut turba, populus.

Quid

Quid Prolepsis.

Prolepsis est attributio proprietatis toti diviso in suas partes, quæ totius proprietatem vario modo continent: ut Omnes student: hic scientiæ, ille pecuniæ, alius Veneri. Totum est omnes cui attribuitur proprietas student, quæ in partibus hic, ille, alius vario modo continentur. In Prolepsi sunt quinque necessaria. Totum, partes, determinationes partium, proprietas, & ordo. Proprietas, est verbum vel adjectivum, ordo in eo consistit, ut præcedat totum, & partes sequantur. Duplex est prolepsis, explicita & implicita; Implicitam indicat posterior versus, eámque vocat tacitam: Prolepsis explicita est in qua totum & partes exprimuntur; ut Sal. *Exercitus hostium duo, unus ab Urbe, alter à Gallia obstant.* Implicita est in qua totum intelligitur, vel partes in adjectivo continentur. Ter. *Curemus æquam uterque partem, tu alterum, ego item alterum.* Totum nos intelligitur in curemus, & partes continentur in uterque: Ego & tu nempe. Sallust. *Cœperunt se quisque magis magisque extollere.* Ovid. *Vestras quisque redite domos.* pro vos redite domos, tu tuam, alius suam.

ZEUGMA QUID.

Unius est verbi ad diversa reductio Zeugma,
Aut adjectivi. *Nihil hic, nisi carmina desunt.*
Iratus Rex est, Reginâque non sine causâ.

Zeugma est unius proprietatis ad diversa reductio: ut *Carus est panis & vinum. Ego sicut fœnum arui.* Differt Zeugma à Syllepsi. In Zeugmate una proprietas diversis tribuitur, uni expressè, alteri subauditè: *Iratus est Rex & Regina.* In Syllepsi proprietas pluribus tribuitur simul: ut *Rex & Regina irati sunt.* In Zeugmate quinque sunt necessaria, proprietas, duo substantiva, conjungens, & concordantia proprietatis, cum uno expressè, cum altero intellectè. Tres sunt Zeugmatis species. Protozeugma, Mesozeugma, & Hypozeugma: Latinè Zeugma à superiori, zeugma à medio, zeugma ab inferiori. Protozeugma est, in quo verbum vel adjectivum ponitur in principio. Virg. *Nunc silet omnis ager, pecudes, pictæque volucres.* Mesozeugma, est in quo verbum vel adjectivum ponitur in medio. Corn. Tacit. *Mediocres*

diocres poëtas nemo novit, bonos pauci. Virg. *Caper tibi salvus & hœdi: Cœli movendi sunt, & terra.* Hypozeugma est in quo proprietas in fine ponitur. Virg. -- *Nihil hic nisi carmina desunt.*

Ter. *Utinam aut hic surdus, aut hæc muta facta sit.*

Antiptosis seu casûs Enallage.

Antiptosis erit, pro casu ponito casum.
Pars etiam mutata locum pro parte tenebit:
Pro genere adde genus, tum verbis, nominibusque:
Personam pro persona; pro tempore tempus,
Proque modo suppone modũ, numerumq; decenter
Pro numero, tibi fiet Enallaga rarior usu.

Antiptosis quæ Enallages est species, est casus positio pro casu. Horat. *Macte virtute esto*, pro mactus. Duplex est antiptosis; Licita & illicita. Licita, ut id genus, pro ejus generis: id ætatis, pro ejus ætatis: id temporis profectus est, pro eo tempore, quibus in extremis, pro in quorum extremo, & quam plurimæ in oratoribus etiam usurpatæ. Illicita quæ notanda potius, quàm imitanda. Plaut. *Alienis rebus curas* pro res alienas. Idem, *Quid tibi hanc rem curatio?* Terent. *Boni & liberalis viri officium functus es.* Pro officio. Enallage est permutatio, vel unius partis orationis pro aliâ, vel accidentis pro alio accidente. Sic nomen pro adverbio, Libens faciam. Adverbium pro Pronomine. Ter. *Hinc illæ lacryma* pro ex hoc. Verbum pro nomine. *Velle suum cuique est*: i. Voluntas. Sic Conjunctio pro Adverbio, quidem pro certè. Et eâdem parte Proprium pro possessivo: Dardana suscitat arma, i. Dardania. Sic Proprium pro adjectivo. *Hector utereque animo, Tullius eloquio,* pro fortis & disertus. Accidentia pro accidentibus.

Activum verbum pro passivo. -- *Nox humida cœlo præcipitat,* pro præcipitatur. Et Virg. *Pictis bellantur Amazones armis,* pro bellant activo. Persona pro altera. Ter. *Si quis me quæret Rufus, præsto est,* pro præsto sum: nam ipse loquitur. *Dij faciant sine me non moriatur ego.* Tempus, pro tempore. Virg. 3. Æn. *et ni mea cura resistat,* pro resisteret, vel restitisset.

Sic modus pro modo: quiescas pro quiesce: ut sæpe infinitivus pro præterito imperfecto indicativi. Ter. *Facile omnes perferre ac pati*, pro perferebat & patiebatur. Sallust. *Romani festinare*: pro festinabant.

Numerus etiam pro numero. Dedimus operam, pro dedi. Cic. *Si tempus est ullum jure hominis necandi, quæ multa sunt*, pro tempora. --- Medióque ex hoste recepit, pro hostibus.

SYNTHESIS.

Synthesis haud vocem, sed cernit significatum,
Rem magis aspiciunt, quàm vocem sæpè poëtæ.

Synthesis est figura in quâ constructio refertur ad sensum & intellectum non ad vocem, ut *Pars in frusta secant, verubisque trementia figunt.* 1. Æn. i. aliqui. Hanc figuram apud Oratores vix unquam reperies, sed familiaris est poëtis & historicis, præcipuè tamen poëtis. Synthesis est triplex, Adjectivi & Substantivi, Relativi & Antecedentis, Nominativi & Verbi. Synthesis inter Adjectivum & Substantivum, Relativum & Antecedens, quinque fit modis, primò ratione discernendi sexus. Plaut. *Audivi sæpe hoc vulgò dicier, solere elephantem gravidam perpetuos decem esse annos.* De Relativo ut si quis dicat. Anser, quæ incubat ovis. Secundò, ratione subauditionis: ut Præneste sub ipsâ, subaudi urbe. Rex est Carnoti, quæ est pulchra, scilicet urbs. Tertiò, ratione collectivi. Corn. Tac. *Magna pars saucij, aut palantes in montem Vocetium perfugere.* Apu. *Vulgus ignobile quos, &c.* Quartò, ratione distributionis. Ovid. 2. remed. *Utraque formosæ Paridi potuere videri.* Ter. *Si quisquam est, qui placere se studeat bonis quam plurimis, in his poëta nomen profitetur suum.* Quintò, ratione abstracti pro concreto positi. Ter. *Scelus, postquam est ludificatus virginem, ad rem reflexit*, teste Donato. Idem. Ubi illic scelus, qui me perdidit, plurimum scelestus. Synthesis in Nominativo & Verbo fit duobus modis, priore, ratione collectionis. Stat. *En utraque gentis Turba rogant.* Posteriore, causa distributionis, Sall. *Uterque insaniunt.* Ovid. *Quo ruitis? Vestras quisque redite domos.*

ECLIPSIS.

Multa per Eclipsin sæpè intellecta tacentur.
Dictio namque regens casum, vel dictio recta
Sæpè deest: supplenda tamen cum postulat usus.

Dictio sæpè regens casum, aliquando etiam dictio recta eleganter subauditur. *Difficilia quæ pulchra*, subaudi, sunt. Ter. *Ubi ad Dianæ veneris.* Cic. *Quod in tabulis, quæ sunt ad Opis patebat.* Tit. Liv. *Linteis libris ad Monetæ inventis* subaudi, templum.

Eclipsis est prætermissio necessariæ dictionis ad rectam orationis structuram, quæ in omnibus orationis partibus locum habet & gratiam: quam eruditè & copiosè, sicuti & reliquas figuras tractat Linacer.

Adverbia & Interjectiones.

En, ecce, hem, primũ, quartúmve aliquando requirunt. *Heu* petit & quintum, velut *ô. hei, væque* dativum. *Proh*, primum, quartum, quintumq; notatur habere.

Hæc adverbia demonstrandi, *en, ecce, hem*, petunt post se nominativum vel accusativum. Cic. *Ecce tibi status noster.* Ter. *Hem astutias!* Hem comicum est, non oratorium. Est sæpè exprobrantis. Ponuntur & sine casu, & tunc fere utimur, ubi quid ex improviso fieri significamus.

(*Heu petit & quintum, velut*) Heu, & O, petunt post se nominativum, accusativum, & vocativum. Plin. *Heu dementia, allatoris adventus semper est gratus.* Cic. *O variam volubilémque fortunam!* Item. *O magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, contráque fictas omnium insidias, facile se per seipsam defendit!* O servit omni affectui, teste Valla, & pulchrè subauditur, quando affectus est parum vehemens. Cic. in Anto. *Indignum facinus, & hominem nequam.* Hui, levioris caloris est interjectio petens accusativum. Ter. *Hui tam graves vestros, quæso.*

(*Hei, væque dativum.*) Duæ interjectiones, *hei* & *væ* regunt dativum post se. Virg. *Hei mihi qualis erat.* --- Mart. *Væ tibi candidice.* Væ quoque cum accusativo antiqui posuerunt.

(Proh primum, &c.) Proh interjectio dolentis, indignantis & aliquando admirantis, construitur cum nominativo, accusativo, & vocativo: ut Proh dolor! Plaut. *Proh sancte Jupiter, quid video?* Terent. *Proh Deûm, atque hominum fidem!*

Junguntur verbis adverbia, nominibusque, Participiisque, alijs constructa adverbia cernes.

Exempla regulæ: benè audit, temerè judicans, Vix vir, Valde benè. Cætera huc pertinentia vivâ voce discipulis sunt tradenda.

REGIMEN GENITIVI.

REGULA PRIMA.

SI duo continuè jungantur fixa, nec una
Sit res, in patrio rectè casu dabis unum.

Omne nomen substantivum regit alterum substantivum in genitivo, si ipsa pro diversis significentur accipi conjunctione nec explicitè nec implicitè intercedente: ut Ager Petri. Facundia Ciceronis. Biantis dictum. *Valere corpore naturæ munus est: divitiæ dantur à fortunâ. Sapientia animi bonum est. Summa summarum,* apud Plin.

Elegantiæ Regulæ.

Quoties loquendum foret per quis, quæ, quod, multus, is, minor, tantus, quantus, & alia nonnulla adjectiva, venustè adjectivum in neutro genere substantivũ efficiemus, mutando alterum substantivum in genitivum, priore servato numero. Quæ causa, quid causæ: multa pecunia, multum pecuniæ. Nullus in nihil vertitur: ut Nullus locus, nihil loci. Plaut.

Neque habet plus sapientiæ quam lapis. Juven. Sat. 3.
Quantum quisque suâ summorum servat in arcâ,
Tantum habet & fidei. ------ Horat.
Sed tacitus pasci si posset corvus, haberet
Plus dapis, & rixæ multò minus invidiæque.

Pleraque adjectiva neutra pluralia regunt genitivum singularem, Acuta belli, Aperta Oceani. Vel pluralem sæpiùs: Amara curarum: Ardua montium: incerta casuum; angusta rerum: ubi rectio ponitur pro convenientia, pro amaras

curas, anguſtas vias, &c. Pulcherrimum eſt id temporis pro eo tempore: id ætatis pro eâ ætate: id locorum pro eorum locorum. Neque hoc regimen ſolum in nominativo aut accuſativo fit. Valer. Max. *Fuerat eodem loci.* Idem. *Multa jam noctis ſerum auxilium venit.* Nomen ſubſtantivum regit genitivum primitivi pronominis: Arma illius. Quia primitiva capiuntur ſubſtantivè, & à ſubſtantivis pendent.

Appendix.

Inſtar amat patrium, quandoque notabis *adinſtar.*

De Mei, Tui, Sui, Noſtri, Veſtri.

REGULA SECUNDA.

Poſſeſſum ſpernit patrium, quo paſſio fertur.

Filius ergo *mei,* ne dixeris: at *meus* inque.

Nomen ſignificans rem poſſeſſam, non poteſt pro poſſidente vel habente regere genitivos primitivorum paſſivè ſignificantes, mei, tui, ſui, noſtri, veſtri: ſed pro ijs ſumit poſſeſſiva. Filius mei, non dicitur, ſed meus: nec pater noſtri ſed noſter: quia mei, tui, ſui, noſtri, veſtri: ſed non ſignificant poſſeſſorem, ſed paſſivè rem acceptam: ut Amor tui quo amaris. Deſiderium mei, quo ego deſideror. Amor tuus quo tu aliquem amas. Deſiderium meum, quo ego deſidero. Siquidem meus, tuus, ſuus, noſter, veſter, activè ſignificant & cum ſuis ſubſtantivis conveniunt, ſicuti genitivi primitivorum reguntur ſolùm à nominibus ſubſtantivis.

Poſſeſſiva tenent patrios pronomina quinos.

Pronomina poſſeſſiva quinque, Meus, tuus, ſuus, noſter, veſter, Genitivos quintuplices adſciſcunt. 1. Numerorum cardinalium: Noſter duorum eventus oſtendet, utra gens bello melior. 2. Univerſalium & particularium. Cic. *Voluntati veſtræ omnium parui.* Idem. *Qui veſtris paucorum laudibus reſpondent.* 3. Adjectivorum: unius, ipſius, ſolius. Cic. *Solius enim meum peccatum corrigi non poteſt.* Idem. *Ex tuo ipſius animo conjecturam feceris.* 4. Participiorum. Ovid. 1. Amor. --- *ſæpe rogabis, Ut mea defunctæ molliter oſſa cubent.* ---- *noſtros vidiſtis flentis ocellos.* 5. Subſtantivorum. Cicer. *Tuum hominis ſimplicis pectus vidi-*

Ge

Genitivi noſtrûm & veſtrûm partitivè capiuntur, & cum iſs eandem Syntaxin habent: uterque noſtrum, nullus veſtrum.

REGULA TERTIA.

Temporis atque loci, quantique adverbia quædam
Exoptant patrium Dic *venimus illius ergô*.

Quædam adverbia temporis, loci, quantitatis, regunt genitivum. Temporis, *In Eſaia*, tunc temporis, tum temporis, interea loci, id eſt temporis, pridie illius diei, poſtridie revolutionis. Cic. Dicimus etiam pridie Calendas, poſtridie Nonas, pridie Idus, & tunc intelligi videtur præpoſitio ante vel poſt, cujus virtute accuſativum habent. Loci, ubivis gentium, nuſquam gentium, unde gentium, ubi terrarum, in quibus gentium, & terrarum, ſolùm ornatûs gratiâ ponuntur. *Tu autem abes longè gentium.* Cæſar. *Eò miſerdiæ ventum eſt*; valde elegans locutio, pro ad eam diſcordiam. Cic. *Quò miſeriæ venimus?* Perſius. *Huccine rerum venimus?* Quantitatis? *Satis loquentiæ.* Affatim ligni, partim hominum. Ovidiana Helena ad Paridem: *Non tibi plus cordis, ſed minus oris ineſt.* Plaut. *Virtute habere oportet, non ſautoribus: Sat habet ſautorum ſemper virtûs facit.*

Cave dicas parvum vini, ſed parum: nec magnum oris, ſed majus oris, ſed multum & magis. Ubi enim adverbia ſunt quantitatis, nominibus neutri generis genitivum vix dabimus. Ergô aliquando adverbium eſt cum genitivo. Virg. Æneid. *illius ergô Venimus, & magnos Erebi tranavimus amnes.*

REGULA QUARTA.

Quævis proprietas, aut pars cui mobile jungis,
Eandem ſignificans, aut vituperamen, habeto
Aut patrium aut ſextum: ceu *vultûs fœmina pulchri*,
Aut *vultu pulchro*. Quandoque Synecdoche habebit
Recte locum quarto, aut ſexto: ceu *candida collum*
Aut *collo: miſerè doleo cor, cordève* dices.

Subſtantivum Subjecti aut Totius, regit dictionem proprietatis, aut partis cum adjectivo laudis vel vituperationis,

in genitivo vel ablativo. Proprietatis, ut *Vir ſummæ virtutis*, vel *ſummâ virtute*. Plin. *Ariſtoteles vir immenſæ ſubtilitatis*. Cicer. *Non multi cibi hoſpitem accipies, ſed multi joci*. Terent. *Homo antiquâ virtute ac fide*. Partis. *Populus duræ cervicis*, vel *durâ cervice*. *Herba magnæ radicis*, vel *magnâ radice*. *Paraſitus avidiſſimæ gulæ*, vel *avidiſſimâ gulâ*. Terent. *Virgo rufa, cæſia, ſparſo ore, adunco naſo*. Subjectum eſt, cui aliquid accidit: ut Homo ſubjectum eſt ſcientiæ, Proprietas eſt res quæ accidit: ut Scientia eſt proprietas, quia accidit homini.

Synecdoche quando fiat.

Quandoque Synecdoche habebit, &c.) Nomen adjectivum, aut cum participio verbum paſſivum, aut neutrum, ſignificans proprietatem, aut accidens in parte rei, poteſt illius partis dictionem in accuſativo vel ablativo regere per Synecdochen: ut *Æthiops albus dentes*, vel *dentibus*. *Doleo caput*, vel *capite*. *Frangor brachium*, vel *brachio*. *Fractus membra*, vel *membris*.

Synecdoche quid.

Synecdoche eſt, quando adjectivum vel verbum conveniens cum toto, regit partem totius in accuſativo vel ablativo: ut *Puer bonus indolem*, vel *indole*. *Ennius ingenio maximus, arte rudis*.

Synecdoche fit vel per
- Adjectiva vel Participialia. Nominal. puer bonus indolē vel indole. Vir vulneratus caput vel capite.
- Verba vel Paſſiva. Neutra. Petrus ruber faciem vel facie. Petrus truncatur manus vel manibus.

Hæc figura tantum ad animi & corporis qualitatem pertinet, nihil ad externa reſpiciens, proinde Synecdoche non eſt. Potens divitijs. Gravis pietate. Præditus dignitate. Sed in hoc Martialis diſticho in Zoilum.

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine læſus:
Rem magnam præſtas, Zoile, ſi bonus es.

Synecdoche dividitur in directam & indirectam. Directa eſt, in qua veræ partis dictio in accuſativo vel ablativo regitur: ut *Nuda pedem*, vel *pede*. Indirecta Synecdoche eſt

in qua non vera pars, sed pro parte adjacens quippiam reperitur. Virg. 1 Æneid. *Per sus sanie vittas.* ---

In Synecdoche constructionis tria sunt necessaria: Totum, Pars, Proprietas, id est verbum vel adjectivum. Constructionis synecdoche poëtis maximè licet uti, proximè deinde historicis, oratoribus vix unquam.

Regula quinta, Opus. Usus.

Poscit *Opus* sextum, tolerans quandoque secundum: Ut *mihi libro opus est*, At *opus dux*, Tullius inquit, *Est nobis*. Ut *Opus* Plautus sic utitur *Usus*.

Opus substantivum regit ablativum cum dativo intercedente verbo sum: habet quoque sed rarissimè genitivum pro ablativo. Cic. *Authoritate tuâ nobis opus est, & consilio, & etiam gratiâ.*

Ovid. *Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri.*
Casus inest illic, hîc erit artis opus.

Sallust. *Priusquam incipias, consulto, & ubi consulueris, maturè facto opus est.* Hic ablativi participiorum neutri generis eleganter ponuntur pro infinitivis consulere & facere. (*At opus dux. Tullius*, &c.) *Opus* pro necessario interdum adjectivè indeclinabile convenit cum substantivo, in genere, casu, & numero. Cicer. *Dux nobis & auctor opus est.* Idem. *Dicas nummos mihi opus esse ad apparatum triumphi.* Cæsar. *Respondit, si quid ipsi à Cæsare opus esset, sese ad eum venturum fuisse.* Sic dicimus, opus est mihi consilio à te. (*Ut Opus Plautus sic utitur usus.* Usus capitur aliquando pro *opus*, & regit similiter ablativum cum dativo intercedente verbo substantivo, præsertim apud Plautum in Asinaria. *Viginti jam usus est filio argenti minis.* Menedemus apud Ter. *Mihi fit est usus, tibi ut opus est facto, face.* Ch. *An cuiquam est usus homini, se ut cruciet?* M. *Mihi est.*

Regula de adjectivis verbalibus.

Activè signans verbale dabit genitivum
Mobile: ceu quædam, quorum vix scitur origo.

Adjectivum verbale & participiale activè significans, regit genitivum: ut quædam adjectiva, de quibus an verbalia

sint ambigitur: ut Amans vini: Patiens frigoris: Consultus juris. Memor beneficij: Compos voti. Ut plurimorum nominum ad hanc regulam pertinentium vis liqueſcat, opus eſt ſequentem annectere differentiam.

Amans vini & amans vinum, ſic differunt: Amans vini eſt qui multum vinum cupit, & ex conſuetudine amat: nec præſens tempus hic magis ſignificatur quàm præteritum: etenim Amans nomen comparabile. Amans vinum eſt, qui jam amat vinum, & participium eſt. Sic patiens frigus, qui patitur. Patiens frigoris, qui per multam conſuetudinem frigus facilè tolerat, & multos videas patientes frigus, minimè patientes frigoris. Doctus Grammaticam, qui Grammaticam didicit, etiamſi neglexerit, participium eſt. Docta Grammaticæ, qui multo uſu grammaticam callet, nomen eſt. Ita dices in reliquis.

Undecuplicia adjectiva nomina regunt caſum hujus regulæ.

Primò in ans & ens.

Amans, fugiens, patiens, fugitans, potens pro potentem habens, ut *Nimborúmque facis, tempeſtatúmq; potentem.* Virg. nam pro abundans etiam ablativum habet. Virg de Italia.

Terra antiqua potens armis, atque ubere glebæ.

Sen. *Amantes tui ima.* Sal. *Catilina patiens inediæ, algoris, vigiliæ, ſupra quam cuiquam credibile eſt.* Tac. *Vulgus cupiens voluptatum* Juvenal. *Metuens virgæ jam grandis Achilles. Salluſtius proprietatum in verbis retinentiſſimus conſuetudini conceſſit.*

Secundò in tus, ſus, è præteriti temporis participijs.

Doctus, indoctus, profuſus, peritus, imperitus, inſuetus, ſuſpenſus. Salluſt. *Alieni appetens, ſui profuſus.* Horat.

Ludere qui neſcit, campeſtribus abſtinet armis.
Indoctuſque pilæ, diſcive, trochive quieſcit,
Ne ſpiſſæ riſum tollant impunc coronæ.

Tertiò in ivus.

Cometes eſt belli ſignificativus. Plin. *Imitativus Juris.* multis ſic utuntur medici: ut Herba expulſiva veneni. Virnum incentivum libidinis: ſic virtus ſui diffuſiva. Lapis conſtitivus ſanguinis. Potio opitulativa alvi. Ita apprehenſivus, penetrativus, &c.

Quæ

Quartò, in idus.

Avidus, cupidus, trepidus, validus, impavidus. Plin. *Natura hominum est novitatis avida.* Plaut. *Leno auri cupidus.* Ovid. ---- *Cupidus studiorum quisque suorum.* Tacit. *Animi validus, & corpore ingens.*

Quintò in ax.

Rapax, capax, ferax, fugax, sagax, pervicax. Quint. *Natura tenaciſſimi ſumus eorum, quæ rudibus annis percipimus.* Tacit. *Opum contemptor, recti pervicax.* Ovid 15. Metam.

Tempus edax rerum, tuque invidioſa vetuſtas,
Omnia deſtruitis. --- Idem de ſe ipſo, lib. 4. Triſt.
Nec patiens corpus, nec mens fuit apta labori,
Sollicitæque fugax ambitionis eram.

Sextò in oſus.

Ambitioſus dignitatis, ſtudioſus, curioſus, incurioſus. Cicer. de amic. *Pilæ ſtudioſi fuerunt.* Philelph. *Quid enim earum rerum ſumus curioſi, quæ animæ curas non adimunt, ſed augent?* Otiſus, perotiſus, & exoſus, modò nomina ſunt activè ſignificantia, cum genitivo: ut exoſus vitæ, peroſus ridendi: vel paſſivè capta cum dativo: ut Epictetus dijs haud eſt exoſus. Modò ſunt participia accuſativum regentia, licet verba unde & perodi non ſint in uſu. Columella. *Immundam ſegetem peroſa eſt.* Ovid.

Ille peroſus opes, ſylvas, & rura colebat.

Septimò in ius.

Dubius, nuncius, ſcius, præſcius, conſcius, neſcius, innocuus, obnoxius. Virg. Fama eſt

Tam ficti, pravique tenax, quàm nuncia veri. Idem. Æn. 10. *Neſcia mens hominum fati, ſortiſque futuræ,*
Et ſervare modum rebus ſublata ſecundis. Auſon.
Quænam ſumma boni? mens quæ ſibi conſcia recti.

Octavò in ilis.

Docilis, ſuſceptibilis, penetrabilis. Ovid.
--- *Pravi docilis Romana juventus.* Plin.
Aſcinius Græco atque Latino ſermone dotiles. Hic docilis dativum habet. Valer. Max. *Alexandri pectus inſatiabile laudis.*

Nonò in rus.

Avarus pecuniæ: maturus, fecurus, gnarus, ignarus. Tacit. *Famæ nec curiosus, nec venditator, pecuniæ alienæ non appetens, suæ parcus. publicæ avarus.* Virg. 1 Æneid.

Clam ferro incautum superat, securus amorum
Germanæ.--- Horat.
Graijs ingenium, Graijs dedit ore rotundo
Musa loqui: præter laudem nullius avaris.

Decimò in gus.

Prodigus pecuniæ. Belli prælagus. Virg. de Drance.
Largus opum, & linguâ melior, sed frigida bello Dextera.

Undecimò, plurima diversæ terminationis nomina.

Rudis, compos, impos, memor, immemor, felix, infelix, æmulus. Multa puer similia observabis creb·â lectione. Cicer. *Græcarum literarum rudis.* Plaut. *Ita me Rex Deorum atque hominum faxit patriæ compotem.* Salluſt. *Laudis avidi, pecuniæ liberales erant.*

Claud. *Munificus laudis, sed non est prodigus auri.*

Oriundus rarissimè habet genitivum, frequenter verò ablativum, cum præpositione a vel ab, vel sine præpositione.

REGULA SEPTIMA.

Affinis, similis, communis, par, propriúsque,
Finitimus, fidus, conterminus, atque *superstes,*
Conscius, & *socius, conformis,* sive *propinquus,*
Et *vicinus, amicus,* avet jungi his *alienus*:
Hæc casum ternum donabunt, sive secundum,
Cætera queis damnum signabitur, utilitásve,
Cum terno pones. *Armis,* fer, & *aptus ad arma.*

Quædam adjectiva regunt genitivum vel dativum, frequentiùs tamen dativum: ut affinis senectutis vel senectuti. Similis patris plerumque dicitur de moribus, similis patri de figurâ. Commune omnium vel omnibus. Par tui vel tibi. Par odio importunæ benevolentiæ. Finitimus fluvij vel fluvio. Cicer. *Est finitimus oratori Poëta.* Fidus amici vel amico. Conterminus fontis vel fonti. Superstes dignitati paternæ, vel dignitati. Conscius deliciarum, vel delicijs

Socius

Socius belli, vel bello. Conformis imaginis, vel imagini. Propinquus, vicinus urbis vel urbi. Erasmus. *Aurora Musis amica est, apta studijs.* Quint. *Sicut aves ad volatum, equi ad cursum, ad sævitiam feræ gignuntur, ita nobis propria est mentis agitatio atque solertia.* Idem. *Rationem nobis præcipuam dedit, ejusque nos socios esse cum dijs immortalibus voluit.* Ovid. *Mala sunt vicina bonis.* Alienus consilij, consilio, & à consilio. Terent. *Homo sum, humani à me nihil alienum puto.*

(Cætera queis damnum, &c.) Cætera adjectiva quibus significatur quæpiam utilitas vel damnum, regunt dativum, & sunt quintuplicia.

Primò, adjectiva adversitatis sive contrarietatis.

Hyems est nobis gravis. Infestus hosti, id est valde molestus. Infensus discipulo, i. valde iratus. Ovid.

Qui color albus erat, nunc est contrarius albo. Plaut.

Opulento homini hoc magis servitus dura est,
Hoc magis miser est divitis servus.

Hoc modo construuntur plurima contrarietatis, seu repugnantiæ verba, de quibus agemus in constructione dativi.

Secundò, adjectiva proximitatis.

Confinis, intimus, familiaris, adjectivum.

Cato. *Proximus ille Deo qui scit ratione tacere.*

Reducuntur huc multa proximitatis verba: propinquo, adhæreo, proximo. Solini verbum proximo, quod, ut alia, cum dativo, potest habere accusativum cum præpositione ad Solin. *Geloni ad hos proximant.*

Tertiò, verbalia in bilis passivè significantia.

Auson. *Multis terribilis, caveto multos.*

Horat. *Hic tibi fit potiùs, quàm tu mirabilis illi.*

Idem. *Nulli flebilior quam tibi Virgili.*

Virg. *Nec visu facilis, nec dictu affabilis ulli.*

Quartò, verbalia in dus.

Ovid. *Sæpè tibi pater est sæpè legendus avus.*

Horat. *Pauper amet cautè, timeat maledicere pauper,*
Multaque divitibus non patienda ferat.

Idem. *Si vis me flere, dolendum est Primum ipsi tibi.*

Sed

Sed hoc magis est gerundium nominativi casus. Legendus nomen, id est Legi dignus, aut qui debet legi. Legendus participium, id est Qui legetur. Ita dicas de reliquis.

Quintò, varia.

Plurima dativum adsciscunt, de quibus non datur certa lex, quæ semper ex se, vel ex adjuncto, commodum vel incommodum, damnum vel utilitatem important: ut Gratus, ingratus, jucundus, injucundus, fidelis, fidus, perfidus, infidus, dulcis, amarus, congruus, prosper, fœcundus, damnosus, obnoxius, pestifer, exitialis, odiosus, malus, nequam, &c. Sapiens. *Qui sibi nequam cui bonus?* Pub. *O vita misera longa, felici brevis.* Senec. *Cunctis esto benignus, nulli blandus, paucis familiaris, omnibus æquus.* Plin. *Fidelissimi amici omnia homini canes & equi.* Cato. *Somno ne deditus esto.* Absonus fidei, apud Liv. id est infidelis. *Absonus voce, cui inepta vox est.* Cicer. *Sunt quidam aut linguâ ita hæsitantes, aut voce absoni.* Absonus à voce, id est discordans.

(*Armis fer. & aptus ad arma.*) Quædam pro dativo possunt accusativum habere cum præpositione ad. Horat. *Infirmo capiti fons aptus, idoneus alvo.* Plaut. *Tot quidem nos potuisti adducere homines, magis ad hanc rem idoneos.*

REGULA DE PARTITIVIS.

Partitiva volunt genitivum: ut signa, graduſque, Pronomen, numerus duplex, adverbia quædam.

Dictio partitiva postulat genitivum pluralem nominis non collectivi, vel singularem collectivi: ut quisque hominum. Partitivum est, quod partem multitudinis indicat, sive sigillatim multa significat, ut aliquis, quidam, nullus, neuter.

Quintuplices dictiones regunt genitivum per regimen partitionis. Primò, signa universalia quædam: ut Quicunque hominum peccaverit, punietur. Particularia verò, ut Surripuit commilitonum aliquis librum meum. Interrogativa, ut Quis horum mecum ibit? Uter vestrum scit latinè? Secundò, casum hujus regulæ petunt gradus comparationis. Positivus quidem. Plin. *In capite paucis animalium nisi volucribus apex.* Idem. *Lanarum nigra nullum colorem bibunt.* Comparativus: ut Fortior manuum est dexter.

Super-

superlativus: ut doctissimus Poëtarum, optimus plebis.

Tertiò omne fere pronomen regit genitivum hujus regulæ: ut hæc volucrum, illa sororum. In Ethicis Aristotelis. *Laudamus quidem juvenum eos, qui sunt verecundi.*

Quartò, duplex numerus regit casum hujus regulæ, numerus cardinalis, i. principalis, quo vulgò numeramus, duo, tres, quatuor, quinque: ut duo istorum, centum virorum. Et numerus ordinalis, quo ordinem indicamus: ut Primus hominum. Octavus sapientum. Unus, numeri principium, & solus, pro quo unus eleganter ponitur, hunc casum regunt. Plin. *Calvitium uni tantùm animalium homini inest.* Idem. Solus animalium. Quot, tot, quotus, ultimus, ad numeros pertinent. Ideo genitivum partitivè regunt. Ter. *Quot hominum isthic litigant.* Juvenal.

--- *Regum ultimus ille bonorum.*

Quintò, adverbia quædam regunt casum hujus regulæ: ubique locorum, nusquam scripturarum. Omnium dulcissimè canit philomela. Plin. *Lynces clarissimè omnium quadrupedum cernunt.*

ANNOTATIUNCULA. 1.

Pro genitivo hujus regulæ licet interdum ponere casus per quos declaratur, nempe accusativum cum *inter*, aut ablativum cum *de*, vel *ex*, vel *in*, pro inter: ut unus istorum, id est inter istos, vel de, vel ex, vel in istis. Sueton. *Verbum M. Catonis est, unum ex omnibus Cæsarem ad everrendam Rempublicam sobrium accessisse.*

ANNOTATIUNCULA. 2.

Substantiva partitivè non regunt, nisi per subauditionem adjectivi partitivè positi. Plin. *Quadrupedum talpis visus non est*, subaudi *solis*. Sciendum est etiam nomina quædam sub prædictis non comprehensa partitivè construi: ut medius & dimidius. Horat. *Virtus est medium vitiorum.* Idem. *Dimidium facti qui bene cœpit habet.* Porro adjectivum partitivum debet esse ejusdem generis cum genitivo quem regit, ut sequitur.

Sit conforme genus, partitio quando notatur,
Ni collectivum, vel vox heteroclita detur:

Recte

Rectè etiam dices, *Quid agis dulciſſime rerum.*

Adjectivum partitivum convenit cum genitivo in genere: ut quiſq; virorum, quæque fœminarum. Tres ſunt ab hac regulâ exceptiones. Prima in Collectivis: ut, *Optimus plebis.* Secunda in Heteroclitis, ut *Infimum cœlorum lunam continet.* Tertia, ubi adjectivum præcedens reſpicit. Terent. *Eſt genus hominum qui ſe primos omnium rerum eſſe volunt.* Horat. *Quid agis dulciſſime rerum?* Boet. *Confitemur Deum omnium rerum eſſe præſtantiſſimum.*

De Comparativis & Superlativis partitivè ſumptis.

Res ſimilis generis medius gradus, atque ſupremus
Poſcunt: ille duas, hic plures uſque duabus.

Comparativus & ſuperlativus, ut regant genitivum per regimen partitionis, requirunt comparationem inter res ejuſdem generis, vel naturæ: Comparativus inter duas, Superlativus inter plures duabus: ut Dextera eſt fortior manuum, Pollex eſt fortiſſimus digitorum. Ideo malè dicitur, Hector eſt fortiſſimus Græcorum, quia non fit comparatio inter ea quæ ſunt ejuſdem generis: cum Hector non ſit Græcus, ſed Trojanus. Eſſe ejuſdem generis nihil eſt aliud, quàm quando excedens, & quod exceditur, ejuſdem ſunt naturæ & conditionis.

Regula Comparativi.

Sin minùs iſta aderunt, medio gradui dato ſextum.

Ubi comparatio non fit inter duo ejuſdem generis, comparativus habet ablativum, qui per quàm exponitur: ut Doctior illo, vel doctior illis. Hector fuit fortior quovis Græco. Horat. *Vilius argentum eſt auro, virtutibus aurum.*

Menſuræ ſextus medio ſuperadditur atque.

Additur comparativo ablativus menſuram exceſſus ſignificans: ut Sum longior te quatuor digitis. Item hi ablativi opinione, fide, juſto, æquo, olito, dicto, & ſimiles rem exceſſam non ſignificantes. Cicer. *Majorem opinione hominum cepi dolorem.* Juven.

Ponamus nimios gemitus, flagrantior æquo
Non debet dolor eſſe viri, nec vulnere major.

Caſum

Casum imi medius poscunt gradus atque supremus.

Comparativus ac superlativus regunt etiam omnem casum sui positivi: ut plenior rimarum, plenissimus rimarum: quia plenus rimarum dicimus. Sic gratus regi, gratior regi, gratissimus regi.

Ponitur in neutro medius, sed non minus aptè.

Comparativus in neutro genere elegantissimè ponitur: ut ornatius dixeris: Nihil tuo patre generosius: Nihil Virgilio suavius: Nihil matre tuâ castius, quàm, Nullus patre tuo generosior. Nemo Virgilio suavior. Nulla matre tuâ castior.

REGULA NONA.

Dat patrium aut sextum tibi *copia*, sicut *egestas*,
Plenus, *inops*, *saturat*, cum fratribus *implet*, *abundat*,
Atque *egeo*, *careo*, testes: quibus adjice *sanus*,
Et *miser*, & *dignus*, cum pluribus, & bene multa
Verba: velut *crucio*, cum *pendeo*, *lætor* & *ango*,
Despio, *abstineo*, *potior*, sic ponis *aloque*,
Indoleo, *recreo*: quæ pluraque prosa recludet.

Adjectiva, & verba quædam copiæ & egestatis, cum nonnullis alijs, regunt genitivum vel ablativum: ut plenus rimarum sum, sinum lacte plenum, inops consilij sum, inops sermone, potior regni.

Virg. *auro Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis Auri sacra fames?* Ter. *Quasi tu hujus indigeas patris.* Valer. *Malo virum pecuniâ, quàm pecuniam viro indigentem.* Jam latè omnia declarabo.

Adjectiva genitivum vel ablativum regentia.

Genitivum vel ablativum indifferenter habent. Plenus, locuples, satur, dives, abundans, refertus, fœcundus, egenus, indigus, immunis, pauper, & plura, si doctissimorum usum diligenter rimemur. Virg.

Despectus tibi sum, nec, quis sim, quæris, Alexi:
Quàm dives pecoris nivei, quàm lactis abundans.

Hic abundans nomen est, teste Prisciano, quia verbum abundo rarissimè genitivum regit. Horat. De arte.

Dives agris, dives positis in fœnore nummis.

Lucan

Lucan. lib. 1. --- *Fœcunda virorum Paupertas fugitur.* Plaut. *Amor, & melle & felle est fœcundissimus.* Ovid.

Quis matrem nisi mentis inops, in funere nati
Flere vetat?

Cicer. Inops verbis. Sæpius genitivum regunt sterilis, vanus, expers, inanis, & alia nonnulla. Plautinus Sosia. Ipse dives operis, & laboris expers: Quodcunque homini accidit libêre, posse retur: Æquum esse putat, non reputat laboris quid sit. Persius.

O curvæ in terras animæ, & cœlestium inanes!

Ablativum sæpius habent quàm genitivum, truncus, oneratus, orbatus, orbus, dignus, indignus, viduus, vacuus, contentus, saucius, lapsus, miser, sanus, & plura: si doctorum scripta diligenter evolveris. In sacris: *Dignus est mercenarius mercede suâ.* Captus oculis, auribus, pedibus, mente, membris, id est, carens horum usu, captus avaritiâ, amore, i. detentus. Captus amœnitate loci, i. delectatus. Quædam habent etiam ablativum mediante præpositione. Sallust. *Omnes homines, qui de rebus dubijs consultant, ab odio, amicitiâ, irâ, atque misericordiâ, vacuos esse decet.*

Verba genitivum vel ablativum regentia.

Licitè genitivum vel ablativum regunt egeo atque indigeo: at reliqua hujus regulæ verba sæpius ablativum, ut impleo, compleo, saturo; abundo, potior, pendeo, lætor, &c. Id semper observandum est, ut oratio nostra varietate delectet citra affectationem. Sunt quæ variant constructionem: ut affluis, abundas amore, vel affluit, abundat tibi amor. Pub. *Negandi causa avaro nunquam deficit.* Participo te auro vel auri. Participo pœnam, id est in pœnâ fio particeps. Cicer. *Qui alteri exitium parat, hunc scire oportet sibi paratam pestem, ut participet parem.*

Dat patrium aut quartum *fastidio*, sed magè quartum.

Fastidio hanc rem nunc dicimus. Olim etiam fastidio hujus rei. Lucil. *Tristes, difficiles sumus, fastidimus honorum.*

Sic plures antiquorum, teste Nonio.

REGULA DECIMA.

Dic satago rerum. Patrium aut dantem *misereri.*

Sed

Sed mage vult patrium, *Dominor* dat rite dativum,
In sacris etiam patrium, velut *auxiliari*.
Grammaticæ leges plerumque Ecclesia sprevit,
Tu vivendo bonos, scribendo sequare peritos.

Satago exigit genitivum *rerum*. Terent. Is quoque rerum suarum satagit. Misereor vult genitivum vel dativum, sed melius genitivum. Huic synonymum misereſco eosdem petit casus. Virg. 8. Æneid. *Arcadij, quæso, misereſcite Regis.*

Boet. *Dilige jure bonos, & misereſce malis.*

Ecl. 2. *Nil nostri miserere, mori me denique cogis.*

Misereor tutiùs dicitur regere solùm genitivum, nam exempla pro dativo sunt corrupta. Miseror semper habet accusativum, & differt à misereor. Misereri passivum affectum habet: est enim corde anxium esse ex alicujus miseriâ: Miserari vero activum: estque verbis, lacrymis, aut ope, dolorem, quem ex miseriâ vel nostrâ vel alienâ habemus, ostendere. Ab illo fiunt misericors & misericordia, ab hoc miseratio & miseratio: quæ nomina eodem modo distinguuntur. Cic. *Misericordia est ægritudo ex miseriâ alterius.* Sed ad rem. *(Dominor dat rite dativum,)* &c. Dominor & auxilior dativum postulant, ut Sapiens dominabitur astris. Auxilior miseris, in sacris etiam cum genitivo leguntur: Quis dominatur tui in dijs, Domine? Hier. in Esaia. *In die salutis auxiliatus sum tui.* Cæterum si rectè vivere velimus, sanctos imitabimur, etiam indoctissimos: si venustè cupiamus scribere aut loqui, linguæ latinæ peritos imitari studebimus, licet Nerone pejores. Præter dictos casus, Dominor etiam habet accusativum mediante propositione, aut ablativum. Cicer. *Felix senectus, si usque ad ultimum spiritum dominabitur in suos.* Sallust. *Fortuna in omni re dominatur.*

REGULA UNDECIMA.

Accuso, damno, moneo, contraria, *laudo*;
Criminis aut *pœnæ*, vel *laudis* habento secundum
Aut sextum. Sed Valla dedit tantummodo sextis;
Altero & *ambobus*, *neutro*, vel *utro*, vel *utroque*.

Verba accusandi, damnandi, monendi, laudandi, & his contra-

contraria; excusandi, absolvendi, vituperandi, regunt genitivum vel ablativum criminis, pœnæ, admoniti, laudis, vituperij. Omnia fermè genitivum frequentiùs habent quàm ablativum: demptis quinque ablativis, altero, ambobus, neutro, utro, utroque: per quorum genitivos hic loqui non licet, teste Valla: ut *Utro accusatus es? Furti, an homicidij?* non *utrius.*

ACCUSANDI VERBA.

Accuso, incuso, ago, postulo, arcesso, insimulo, arguo, noto, defero, alligo, astringo, criminor, & similia: ut Accuso illum furti vel furto, incuso illum negligentiæ. Plaut. *Qui alterum incusat probri, ipsum se intueri oportet.* Cicer. *Ne quem unquam innocentem judicio capitis arcessas.* Terent. *Si horum insimulabis avaritiæ malè audies.*

Ovid. --- *Utinam temeraria dicar,*
Criminibus falsis insimulâsse virum.

Terent. *Hic furti se alligat.* Plaut. *Furti se astringit.* Hier. *Qui alterum mendacij criminaris, define ipse mentiri.*

EXCUSANDI VERBA.

Excuso, purgo, expurgo me parricidij vel parricidio.

DAMNANDI.

Damno, condemno, multo, admulto, punio, plecto, convinco, redarguo. Ad accusationem vel damnationem pertinent etiam teneo, interrogo, cado, periclitor, perdo, do pœnas, satisdo, suspectum habeo: ut *Qui sustulit rem sacram de prophano: furtine tenetur? an sacrilegij? an utroque?* Horat. *Damnatus longi Sisyphus laboris.* Cic. *Capite damnatos morte multavit.* Idem. *Si iniquus es in me judex, condemnabo eodem ego te crimine.* Idem. *Meipsum inertiæ, nequitiæque condemno.*

ABSOLVENDI.

Absolvo, libero, &c. ut Absolutus est parricidij vel parricidio.

MONENDI.

Moneo, admoneo, commoneo, commonefacio te debiti. Liv. *Adversæ res admonuerunt religionum.* Commemoro pro admoneo, ratò est cum genitivo.

LAU-

LAUDANDI.

Laudo, miror, probo, commendo: ut commendo te pietatis aut pietate. Servius figuram Græcam hîc esse putat. Virg. Æn. 11. *Vir Trojane, quibus cœlo te laudibus æquem?*
Fustitiæne prius mirer, belline laborum? Id est, causâ vel gratiâ justitiæ.

VITUPERANDI.

Vitupero, corripio, reprehendo, increpo, *Increpito te negligentiæ, malè gestæ rei.*

APPENDIX.

Junge his interdum sextis & præposituram:
Et do causatum, crimen quarto, admonitúmque.

Ablativo hujus regulæ apponitur interdum præpositio: nago te repetundarum, repetundis, aut de repetundis. Cic. *Lex vetat eum qui de pecunijs repetundis damnatus sit, in consulem orationem habere.* Ponitur interdum crimen in accusativo. Cic. *Inertiam accusas adolescentum.* Sic quoque admonitum, laus, vituperium, causatum. Ter. *Ridiculum est istud me admonere, Chitipho.* Luc. --- *Littusque malignum, Excusat.* -- Eodem modo dicimus, Littus malignum causatur. Causatur morbos, id est in excusationem adducit.

Ovid. *Nunc agitur censura, & sic exempla parantur:*
Cum judex, alios quod monet, ipse facit.

REGULA DUODECIMA.

Verba volunt sexto pretium. Ponas sine fixo
In patrio *pluris, tanti, quanti,* atque *minoris:*
Cum fixo in sexto. Rarò quartum *valeo* vult.
Viliùs & *meliùs, pejùs* vel *cariùs emi,*
Valla negat rectè dici per nomina posse.

Omne verbum, cujus actus aliquo pretio constat, potest regere post se nomen pretij, vel valoris in ablativo: Emi absequum decem aureis. Excipiuntur quatuor nomina, tanti, quanti, pluris, atque minoris cum compositis tantilibet, tantidem, quantivis, & similibus, quæ sine substantivis in Genitivo ponuntur: at cum substantivis in Ablativo: ut Quanti pransus es, aut quanto pretio? Quanticunque locabis,

præ-

præstaret domum vendere. Valeo hnc pertinet: ut Tanti res valet, quanti potest vendi. Aliquando hoc verbum regit pretium in accusativo. Varro. *Denarij dicti, quòd denos æris valebant, quinarij quòd quinos. Vilius & melius*, &c In quibusdam solum adverbialiter loquendum est, teste Valla, ut Emo viliùs & meliùs, id est quod Barbari dicunt pro meliore foro, Latini; Emo minoris, Emo pejùs aut cariùs, id est pluris.

Verba hujus Regulæ.

Emo, comparo, mercor, vendo, venundo, distraho, veneo, loco, conduco, taxo, liceo, addico, metior, fœneror, paciscor, mutuor, sto, consto, sum, redimo, ædifico, impleo, calceo, doceo, ago, &c. Emi tanti, quanti voluisti: pulchrè subauditur vendere. Virg.

Hectoris exanimum corpus vendebat Achilles Auro. --- Terent. *Quid agas? nisi ut te redimas captum quàm queas minimo, & si nequeas paululo, at quanti queas.* Plin. de Pamph. pictore. *Docuit neminem minoris talento, quam mercedem & Apelles, & Melanthius ei dedere.* Quanti stat, quanti constat, idem sunt. Senec. *Parvo fames constat, magno fastidium.* Livius. *Multo sanguine, ac vulneribus ea Pœnis victoria stetit.* Terent. *Quanti est sapere*, id est valet. Plaut. *Pluris est oculatus testis unus, quàm auriti decem.*

ANNOTATIUNCULA.

Tanti, quanti, pluris, minoris, sunt hic substantiva, teste Lanc. Prætetea ejusmodi orationes, qualis est hæc Plauti: *Mortuus pluris pretij est quàm ego.* Et Terent. *Meam herus operam deputat parvi pretii*, pertinent ad regulam quartam genitivi, & in posteriore subaudiendum est, *esse*.

Regula decima tertia. De verbis æstimandi.

Æstimo, curo, puto, facio, cum *consulo, duco,*
Pendo, habeo, refert, est, inter, & *est* benè jungo;
Ante dabunt dictos patrios; cum *plurimi* & *æqui*,
Et *parvi, nihili, nauci, floccique, bonique,*
Magni, infiniti, majoris, maximi, & *assis*,
Et *minimi, multi*. Quædam benè ponito sexto.

Verba æstimandi, ut æstimo, existimo, curo, puto, facio con-

consulo, duco, pendo, habeo, sum, & de quibus sequitur peculiaris regula, interest, ac refert, præter genitivos tanti, quanti, pluris, minoris, regunt etiam genitivos, plurimi, æqui, parvi, nihili, nauci, flocci, boni, &c. quibus additur genitivus pili, & forsan plures. Pro quibusdam possunt habere ablativum: ut æstimo te assis vel asse. Existimo te magni vel magno. Valer. Max. *Magno ubique pretio virtus æstimatur.* Senec. *Data magno æstimas, accepta parvo.* Cicer. *Gloriosa sapientia non magno existimanda est.* Exempla de genitivo. Terent. *Quid de me fiat, parvi curas.* Plaut. *Respice vos nihili meam gratiam facere.* Nihili vel pro nihilo hunc habeo librum, i. contemno, non autem possideo. Plaut. *Qui homo timidus erit in rebus dubijs, nauci non erit.* Ovid. *Pluris opes nunc sunt, quàm prisci temporis annis.*

Boni consulo, id est in bonam partem accipio. Consulo te, id est consilium à te peto. Consulo tibi, id est do consilium. Consulo honori aut famæ, id est provideo.

Regula decima quarta.

Pauca recordandi, patrium, quartúmve requirunt,
Ut *memini, memoror*: sic *obliviscor* habetur.

Verba memoriæ & oblivionis: ut Recordor, memini, memoror deponens, reminiscor, recolo, obliviscor, regunt genitivum vel accusativum. Cicer. *Proprium est stultitiæ aliorum cernere vitia, oblivisci suorum.* Virg. *Quisquis es, amissos hinc jam obliviscere Graios.* Plaut. *Faciam ut hujus diei, hicque, meique semper meminerit, qui mihi in cursu obstiterit.* Cicer. *Illud semper memento, qui ipse sibi sapiens prodesse nequit, nequicquam sapit.* Memini pro mentionem facio, respuit accusativum, postulátque solum genitivum vel ablativum, cum præpositione de: ut Memini tui, vel de te. Sic dices etiam recordor, cogito de hac re. Cicer. *Obliti salutis meæ, & bonis ac de liberis vestris cogitate.*

APPENDIX.

Huc pertinet, Venio in oblivionem, Venit in mentem illius diei, vel venit in mentem ille dies. Subit cogitationi, vel subit animum cogitatio. Fugit, læret me hæc res, id est hanc rem ignoro, aut non recordor. Lucanus per dativum ait:

Tu

--- Tu mihi causa lates. *Cic.* Cui noſtrûm latêre arbitrarâ. *Voſſius* ait lateo cum accuſativo eſſe conſtructionem Græcam.

Regula decima quinta.

Refert, *inter* & *eſt*, *eſt* ſignans commoditatem,
Officiúmve, petit quoſvis patrios, niſi ſeptem.
Refert, *inter* & *eſt*, *noſtráque*, *meáque*, referto,
Cum reliquis. Capiet *cujâ* vel *cujus* utrumque,
Eſt *noſtrum*, *veſtrúmque*, *meúmque*, *tuúmque*, *ſuúmque*.

Hæc tria verba, Refert, intereſt, & eſt; ad alicujus rei commoditatem vel utilitatem, vel officium pertinentis, regunt quoſvis genitivos, præter ſeptem primitivæ ſpeciei. Mei, tui, ſui, noſtri, veſtri, noſtrûm & veſtrûm: pro quibus refert & intereſt, regunt ablativos, Meâ, tuâ, ſuâ, noſtrâ, veſtrâ, quibus jungitur cujâ. Eſt verò capit nominativos Meum, tuum, ſuum, noſtrum, veſtrum: ubi officium intelligitur.

Exempla de Genitivis.

Uxoris refert, quid rerum gerat maritus nôſſe. *Cicer.* Intereſt, omnium rectè agere. *Idem.* Adoleſcentis eſt majores natu vereri. *Plaut.* Eſt miſerorum, ut malè volentes ſint atque invideant bonis.

De Ablativis CUM, INTEREST, *&* REFERT.

Terent. Tuâ quod nihil refert, percontari deſinas. *Sueton. de Julio Cæſare.* Ferunt dicere ſolitum, non tam ſuâ, quàm Reipub. intereſſe, uti ſalvus eſſet. Dices cujus, vel cujâ intereſt.

De Nominativis CUM EST.

Cicer. Neque enim meum eſt contra authoritatem ſenatûs dicere. *Idem.* Tuum eſt conſulere temporibus & incolumitati, & vitæ, & fortunis tuis.

APPENDIX.

Intereſt & refert, habent etiam genitivos æſtimandi: videlicet, tanti, quanti, magni, parvi. In reliquis ſæpius habent vel nomina vel adverbia: Multùm, plùs, plurimùm, magis, minùs, parùm, paulùm, maximè, minimè, pauxillùm, nihil, aliquid, quid, & ſi qua ſunt ſimilia: ut Magni mea

intereſt. *Cic.* Permagni intereſt, quo tempore hæc æpiſtola tibi reddita ſit. *Valer. Max.* Nihil intereſt humi, an ſublime putreſcam. Juven. *Plurimùm enim intererit quibus artibus, & quibus hunc tu Moribus inſtituas.* --

Minimùm intereſt, id eſt paululum. Minimè refert, id eſt nihil. *Terent.* Quid tuâ (malùm) id refert; reſpondet alter, magni. Malùm eſt interjectio, Notandum eſt, hos genitivos addito ſubſtantivo in ablativum mutari. Juvenal.

--- *Parvo diſcrimine refert,*
Quo geſtu lepores, aut quo gallina ſecetur.

REGULA XVI. *Pathetica.*

Pœnitet & *tædet*, *miſeret*, *pudet*, & *piget*, optant Accuſativum patientem cum genitivo.

Hæc quinque impersonalia activæ vocis, pœnitet, tædet, miſeret, pudet, piget, regunt accuſativum patientis rei, cum genitivo agentis: cujus loco interdum habent verbum infinitum: ut Pœnitet me peccati, vel pœnitet me peccaſſe. Tædet me vitæ vel tædet me vivere. Miſeret CHRISTUM peccatoris. *Plaut.* Aliorum te miſeret, tui te nec miſeret, nec pudet. Sub miſeret, comprehenditur miſereſcit, ſub alijs compoſita: ut pertædet, diſpudet. *Col. de Euripide.* Matrimonij pertædebar.

Cor. Nepos in vitâ Attici. Nuſquam ſuſcepti operis eum pœnæſum eſt. Sic in præteritis dicimus. Miſertum eſt virginis, puditum eſt conſilij. *Cicer.* Pertæſum eſt levitatis.

REGULA XVII.

De tenus ac obiter de alijs præpoſitionibus.

Sæpe *tenus* patrium numero præeunte carentem,
Aut res ſignantem geminas, vult Valla tenere.
Vult *ad* cum ſocijs quartum, velut *abſque* Latinum,
Sub, *ſuper*, *in*, *ſubter*, caſu junguntur utrique
In vario ſenſu: facilis docet omnia proſa.

Tenus præpoſitio petit genitivum pluralem, res geminas, ut Valla notavit, ſignificantem, aut numero ſingulari carentem, alioqui vult ablativum: in plurali etiam quandoque

genitj-

genitivum. Exemplum ubi res sunt geminæ.

Virg. 3. Georg. ---- *optima torvæ*
Forma bovis, cui turpe caput, cui plurima cervix,
Et crurum tenus à mento palearia pendent.

De genitivo singulari numero carente. Cœlius. *Illi rumores de comitijs Transpadanorum. Cumarum tenus caluerunt.* De secundo genitivo: *Olympus attollitur nubium tenus.* De ablativo singulari. Virg. 2. Æneid. --- *Lateri capulo tenus abdidit ensem.* Hinc hactenus, quatenus, eatenus, quæ plerumque adverbia sunt. (*Vult ad cum socijs.*) Ad, apud, &c. quæ simul triginta & una sunt, regunt accusativum casum: ut ad patrem. Apud villam. His Valla versus addit, quæ semper postponitur. Sallust. *Ægyptum versus.* (*Velut absque Latinum.*) A, ab, abs, quæ sedecim sunt, regunt Latinum, qui ablativus est: ut A domo, ab homine. (*sub, super, subter.*) quatuor sunt præpositiones accusativum vel ablativum regentes: In, sub, super, & subter, sed plerumque in diverso sensu: ut sum in templo, vado in forum. Utrique interdum casui serviunt clam, & procul, præpositionibus annumeranda. Cur. *Procul muro.* Liv. *Procul muros.* Sed hæc sine casu adverbia sunt. Ovid.

Sint procul à nobis juvenes ut fœmina compti.

Virg. *Clam ferro incautum superat.* ---

De præpositionibus accusativum petentibus.

Annotatiuncula.

AD & APUD *differunt.*

Ad tam motûs, quàm quietis verbum admittit: ut Senatores ingrediuntur ad Curium sedentem ad focum. Apud solum quietis verbum desiderat, aut saltem non exterioris motûs. Sedeo apud Petrum. Ad pro circiter ponitur. Ut *Dormit ad horas tres.* Elegantiam habent. Omnes ad unum perierê: i. nullo excepto. Ad amussim, ad unguem, i. exactissimè, exquisitâ diligentiâ. Ad tempus. Item ad habet vim similitudinis. Terent. *Pulchra quidem, sed nihil ad nostram hanc.*

APUD & PENES *distinguuntur.*

Apud, locum aut personam innuit: ut Vidi te apud forum. Cæsa-

Cœnsvi apud Pompeium. Penes personam, dominium, ac potestatem. Janus apud Ovidium:

Me penes est unum vasti custodia mundi. Horat.
Multa renascentur, quæ jam cecidêre, cadentque
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus:
Quem penes arbitrium est, & vis, & norma loquendi.

ANTE & POST.

præposituræ, sint sine casu, adverbia sunto.

Ante & post, ubi accusativus abest adverbia sunt, pro antea, posteà. Virg. *Longo pòst tempore venit.* Et dicimus multò antè, vel pòst, aut antè vel pòst multò. Item pòst paulò, vel paulò pòst, contra indoctos. Sic omnes præpositiones absente casu adverbiascunt. Persius --- *Nec te quæsiveris extra.* Plaut. *Venium adversum tempori*, id est, obviam tempestivè.

CIS, CITRA, *cum contrarijs.*

Cis & citra quibus opponuntur trans & ultra, nihil differunt, nisi quod cis antiquius est, magisque nominibus montium vel fluviorum præponitur. Cis Rhenum. Et cis aliquando pro ultra ponitur, teste Marcello. Citra ponitur etiam pro minus quàm: Ultra pro magis quàm, Citra naturæ leges i. minus quàm naturæ leges patiantur. Item citra i. sine. Senec. *Ede citra crudilatem, bibe citra ebrietatem.*

CIRCA, CIRCITER, ERGA.

Circa ad locum & tempus refertur: ut Circa forum: Circa horam tertiam. Circiter ad tempus numerumque. Plaut. *Redito huc circiter meridiem.* Curt. *Circiter duo millia desiderati.* Aliquando etiam locum dicit, & sæpe adverbiascit: ut Lapis circiter in medio quadratus. Erga ad personam refertur. Corn. Tacit. *Erga populum superbum. Erga principem contumeliosum.* Quint. *Pleraque contra frigus ex suo corpore constituntur, & arma ijs ingenita quædam, & ex obvio fere victu, circa quæ omnia multus hominibus labor est.*

INTER, INTRA & EXTRA.

Inter innuit medians aliquid, ut *Multa cadunt inter calicem, supremaque labra.* Intra, certos loci, temporis, aut alterius rei fines demonstrando significat, habetque contrarium extra. Horat. *Iliacos intra muros pugnatur & extra.* Intra

triduum: Intra famam, id est citra opinionem.

INFRA, SUPRA, SUPER, SUBTER.

Infra ad dignitatem refertur: ut Infra omnes infimos est homo nequissime. Et ad locum, habétque relativum supra, cum quo res plerunque significat interjecto spatio distantes. Ut infra tectum es, si foco assideas. Nubes supra nos pendent. Virg.

Tum mihi cæruleus supra caput adstitit imber,
Noctem hyemémque ferens & inhorruit unda tenebris.

Eodem modo subter & super relativa sunt, nec distantiam quemadmodum illa, sed rerum contactum frequenter significant. Sedeo super lapidem. Urinator mirificè subter aquam durat.

JUXTA, PROPE.

Pro eodem accipiuntur Juxta & prope: Juxta autem adverbium apud elequentissimos sæpè significat similiter, eodem modo, æquè. *Sallust. de inertibus.* Eorum ego vitam mortémque juxtà æstimo, quoniam de utráque siletur. *Erasmus Roterodamus.* In aliorum pulchrè ac turpiter factis, quid deceat, quid non, juxtà videmus.

OB & PROPTER.

Causam innuunt ob & propter: veluti, Ob virtutem amandus es. *Cic.* Is denique honos mihi videri solet, qui non propter spem futuri beneficij, sed propter magna merita claris viris defertur, & datur. Propter etiam prope significat. Virg.

Et viridi in campo templum de marmore ponam
Propter aquam. --- Ob interdum significat ante. Livius. *Fœda mors ob oculos erat.*

SECUNDUM SECUS.

Caper negat rectè dici, Secus te sedeo, quia dicendum esset, inquit, Secundum te sedeo. Variat autem secundum significationem. *Cic.* Proximè autem & secundum Deos homines hominibus maximè utiles esse possunt. Hinc post & quasi secundo loco significat: Item secundum te judico: id est, pro te. Secundum quietem tua imago mihi obversata est, id est in quiete. Vulgare est secundum: id est juxta Solonem cecinit Ovidius.

Ultio

--- Ultima ſemper
Expectanda dies homini eſt dicique beatus
Ante obitum nemo, ſupremáque funera debet.

USQUE.

Uſque ſine alia præpoſitione appoſitâ gaudet plerunque poſtponi: ut Romam uſque iter habeo. Additâ præpoſitione tranſit in adverbium. *Cic.* Uſque ad Numantiam miſit. *Terent.* Ex Æthiopiâ eſt uſque hæc. Uſurpatur etiam quando adverbium eſt pro aſſiduè, diu, ſemper. *Plaut.* Valuiſtin' uſque?

Præpoſitiones ablativi caſus.

A, ab, abs, idem ſignificant, ſed à ſolum conſonantibus jungitur, ab vocalibus: rarò autem alijs conſonantibus quàm conſonanti j, & liquidis l & r: ut ab Jove, ab lege, ab Rege. Ovid. 1 Met. *Vivitur ex rapto, non koſpes ab hoſpite tutus:*
Non ſocer à genero fratrum quoque gratia rara eſt.
Abs, vix aliter utimur quam ante q & t. Abs Tito. Terent. *Ab quovis homine beneficium accipere gaudeas.*
A vel ab, pro poſt, ornatè ponuntur. Perſ.
O Jane, à tergo quem nulla Ciconia pinſit.
Item defenſionis vim habent. Cic. *M. Cœlius talis tribunus fuit, ut nemo contra civium perditorum popularem furibundamque dementiam à ſenatu, & à bonorum cauſâ ſteterit conſtantiùs*, i. pro partibus Senatus, pro partibus bonorum. Ab epiſtolis, à rationibus dicitur, qui epiſtolis, rationibus præeſt. A ſecretis, i. ſecretarius, ſecretorum ſocius. Ab re, i. præter rem, indecens, inutile. Liv. *Haud ab re duxi.*

CUM.

Cum aliquando Euphoniæ cauſâ neceſſariò poſtponitur: Mecum, tecum, ſecum, nobiſcum, vobiſcum. Quacum, quocum, quibuſcum: meliùs, quàm, cum qua, cum quo, cum quibus. Cic. *Quid dulcius, quàm habere, quocum omnia audeas loqui, ut tecum?*

CORAM. CLAM. ANTE. PALAM.

Coram adverſatur clam, & differt ab ante. Nam ante oculos longe intelligi poteſt: Coram proximitatem ſignifi-. Terent. *Quæ mihi ante oculos coràm amatorem adduxti*

tuum? Differt quoque coram, à palam. Coram ad certas personas pertinet. Palam ad omnes, & fere adverbium est, pro manifestè. Terent. *Quæ vera audivi taceo, & continuo optimè. Sin falsum, aut vanum, aut fictum est, continuò palàm est.*

DE. E. EX.

De ab à differt. De materiam significat, quemadmodum e, & ex. A nunquam materiam innuit, sed efficientem causam. Plin. *Liber tam inceptus, ut non de puero, sed à puero factum esse credas.* Diversa sunt igitur. Hoc de te audio, & hoc audio à te, hîc enim est causa efficiens. Illic materialis. E & ex idem significant, sed è consonantibus tantum jungitur: ut è jure, è Republicâ, id est ad utilitatẽ Reipublicæ. Ex tam vocalibus quàm consonantibus: ut ex arbore, ex dignitate, i. pro dignitate, vel ad dignitatem. E renibus laboro, id est morbum patior in renibus. Ex sententiâ aliquid habere, id est ad votum & desiderium nostrum. Ex composito, id est deditâ opera. Ex Amphitheatro venit, qui in illo fuit. Ab Amphitheatro venit, qui in loco fuit illi proximo.

Comes facundus in via pro vehiculo est, i. vehiculi vice. Sto pro turribus, pro Joanne, i. ut turres, ut Joannem defendam. Pro viribus, pro virili, vulgaria sunt. Pro foribus, id est ante fores. Pro rostris, pro tribunali, id est in rostris, in tribunali.

PRÆ.

Præ significat ante, ut præ cunctis es honorandus, Et propter vel ab. Terent. *Ut sit misera præ amore!* Comparationis præterea vim habet. Idem. *Hîc ego illum contemno præ me.*

Præpositiones communes.

IN *cum Accusativo.*

In, accusativo servit, quoties motum ad quamvis rem significamus: motum dico, vel manifestũ, ut Redeo in gratiam. Horat. *In vitium ducit culpæ fuga, si caret arte.* Vel latentem, ut *Avaritia crescit in horas.* Martial.

Hesterno fœtere mero qui credit Acerram,
Fallitur: in lucem semper Acerra bibit. Virg.
Scinditur incertum studia in contraria vulgus.

In pro contra ponitur: ut Crudelis in privignos noverca. Invehor in æmulum. Virg.

Quid meus Æneas in te committere tantum?
Quid Troes potuere? Item in pro erga. Idem.

--- imprimis Regina quietum
Accipit in Teucros animum, mentémque benignam.

IN & SUB *cum Ablativo.*

Cum in loco, aut aliâ re, quid fieri significamus, in & sub ablativum postulant: ut Versor in foro, sub dio, sub nocte. *Cicer.* Verum decus in virtute positum est, quod maximè illustratur magnis in Rempub. meritis. Virg.

Ædibus in medijs, nudoque sub ætheris axe
Ingens æra fuit.--- Ovid.
Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est experienda fides. In pro inter ponitur. Virg. *--- Cadit & Ripheus, justissimus unus*
Qui fuit in Teucris, & servantissimus æqui.

SUB *cum Accusativo.*

Sub accusativum habet, ubi motus fit ad rem: ut Eo sub dium. Virg. *--- postésque sub ipsos Nituntur gradibus. ---* Item sub pro paulo ante, vel circa. *Erasmus.* Sub cœnam aulisper inambula, cœnatus idem facito. Sub somnum exquisiri quippiam, ac dignum memoriâ legito. Et pro statim post: ut Sub hæc verba. *Cicero Planco.* Sub eas statim reditæ sunt tuæ.

SUPER & SUBTER *cum Accusativo.*

Super quando adversatur præpositioni subter, cum accusativo sæpius legitur: ut Super aëra æther est. Similiter quodcunque ultra significat: ut Virg.

--- Super Garamantas & Indos
Proferet imperium. ---

Et præter. *Sueton.* Super cætera flagitia. Sic subter sive quies fuerit, sive motus, accusativum fere semper habet: poëtice interdum ablativū. Virg. 9. Æn. *Subter densâ testudine.*

SUPER *cum Ablativo.*

Super pro de positum, habet ablativum. Virg.

Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa.

Præterea pro in aut propter. Virg. *Fronde super viridi.* Non moveor super hac re, i. propter hanc rem.

REGULA XVIII.

De Genitivo, & obiter de alijs casibus pro adverbijs loci.

Quæstio si fiat per *ubi*, nomen que prioris
Sit numeri, & proprium, seu primæ sive secundæ:
In patrio dabo, quando locum designo minorem.
Militiæ, belli, atque *domi*, sic ponis *humique*,
Addimus interdum dictis, *terræque, togæque.*

Propria nomina pagorum, & oppidorum (quæ minora loca dicuntur) primæ vel secundæ declinationis, singularis numeri: & appellativa, Militiæ, belli, domi, humi, terræ & togæ cum quæstio fuerit per ubi, apponuntur verbis vel participijs in genitivo, pro adverbijs loci: ut si quæratur: ubi est Papa? optimè respondebis, Est Romæ. Ubi studuisti? Studui Gandavi. Ubi est segnis? Domi. Ubi agit temerarius? Militiæ. Sic poma jacent humi. Condo corpus terræ, i. in terra. Gratus principi, belli, togæque. Hoc perablativum dicere posses. *Plin.* Dubium est togáne an bello præstantior fuerit. Humi construitur etiam cum verbo motus ad locum. Virg.

Nec prius absistit, quàm septem ingentia victor
Corpora fundat humi. --- Idem. -- *Procumbit humi bos.*

Si ternæ nomen fuerit, numerive secundi,
Cum *ruri* dabitur terno aut sextò, mage terno.

Nomina propria oppidorum aut pagorum tertiæ declinationis, aut pluralis numeri, cum quæstio fiet per ubi, ponuntur pro adverbijs loci in dativo vel ablativo: elegantiùs autem in dativo cum appellativo *ruri*: ut Terentius natus est Carthagine, vel natus est Carthagini. Tarquinius vixit Gabijs. Studes Athenis. Ruri philosopharis. Dices & rure per ablativum. *Liv.* Scipio vitam Linterni egit sine desiderio Urbis: morientem rure, eo ipso loco sepeliri se jussisse ferunt. Per dativum locutionem esse lepidiorem innuit Servius: nec desunt apud Latinos scriptores testimonia. *Cic.* Convenit Antonius

Antonio Tiburi: quæ Romæ, quæque Carthagini acta.

APPENDIX.

Non solum pro adverbijs localibus quidam dativi ponuntur, sed inveniuntur etiam pro adverbijs temporis positi, aut verùs adverbia sunt: ut tempori, luci, vesperi, quibus addi potest sorti, i. per sortem. Virg. 2. Georg. de apibus loquens.

Sunt quibus ad portas cecidit custodia sorti.

Terent. Nunquam tam manè egredior, neque tam vesperi domum revertor, quin te in fundo conspicer fodere.

Tu sextum casum si quando per *unde* rogâris,
Aut *quâ* respondè. Si per *quo* ponito quartum
In proprijs: quibus usque cupit *rus* cum *domus* addi.

Nomina propria oppidorum, aut pagorum, ubi quæstio fuerit per unde, aut per quâ, ponuntur pro adverbijs loci in ablativo sine præpositione; cum duobus appellativis *rus* & *domus*. Unde venis? Venio Româ, Tiburè, domo. Terent. *Timeo ne pater jam rure redierit.* Quâ ibis Romam? Coloniâ. Sed hic per præpositionem sæpiùs loquuntur propter Amphiboliam vitandam: ut per Coloniam proficiscor Romam versus. (*Si per quo ponito quartum.*) Nomina propria oppidorum vel pagorum, ubi quæstio fuerit per quò, ponuntur sine præpositione in accusativo, cum appellativis rus & domus: ut Quò vadis? Vado Gandavum, Brugas, Parisios. Terent. *Ego cum filiorus ibo.*

Virg. *Ite domum saturæ, venit Hesperus, ite capellæ.*

Barbarus haud fies apponens præposituras.

Si quis dictis nominibus Præpositionem interdum adjiciat, non censebitur Barbarè locutus. Quintil. *In domo furtum factum est ab eo qui domi fuit.* Liv. *Legati ab Ardeâ veniunt.* Cic. *Ad Capuam, vel ad Luceriam iturus putabatur.* Maximè autem uti licet *ad*, ubi locum proximum significamus, ut Hostes venerunt ad Gandavum, i. in locum Gandavo vicinum.

APPENDIX.

Accedentibus adjectivis, vix abesse potest præpositio. Proper. *Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas.*

Excipiuntur meus, tuus, ſuus, noſter, veſter, & alienus. Dicimus enim: Sum domi meæ, tuæ, &c. Cic. *Malo eſſe cum timore domi meæ, quàm cum periculo domi alienæ*; dicendum eſt igitur, Verſor in domo amplâ, magnificâ, regiâ; non autem, Verſor domi amplæ, magnificæ, regiæ. At Livius ait: *Capuam flectit iter luxuriantem longâ felicitate ac indulgentiâ fortunæ.* Sic & alij interdum. Ovid. *Atque aliquis doctas jam nunc eat, inquit, Athenas.* Eodem quoque modo majorum locorum nomina ſine præpoſitione adverbialiter poſita invenies, licet aliter Grammatici præcipiant, ut ſubnotabimus. Virg. 1 Æneid.

Italiam fato profugus, Lavináque venit Littora.----

Annotatiuncula generalis.

Diximus ubique propria oppidorum & pagorum nomina, quia proprijs aliorum locorum, ut Regionum, Inſularum, Montium, Fluviorum, præter dicta, appellativis omnibus adhæret præpoſitio, ſive actio fiat in loco, de loco, per locum, ſeu denique ad locum. Plancus Ciceroni. *Ab Iſarâ caſtra movi, pontem tamen quem in Iſarâ feceram, caſtellis duobus ad capita poſitis reliqui.* Virg. 1. Æneid.

Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum
Tendimus in Latium. Horat.
Impiger extremos currit mercator ad Indos:
Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes.

De Adverbijs localibus.

Ubi, quò, quà, unde, quorſum, & quouſque, de loco quærunt, ſi nec relativè, nec infinitè ponantur. Quæcunque autem nomina ad hæc prima quatuor diximus reſpondere, eadem ad quorſum, & ad quouſque in accuſativo reddi poſſunt, adjecto verſus, quando per illud, & uſque quando per hoc facta eſt quæſtio: ut Quorſum tenes iter Ænea? Carthaginem verſus. Quouſque te fata trahunt? In Italiam uſque.

Hoc tamen ſæpè intelligitur, teſte Valla: Sed de nominibus ſatis. Tribuuntur etiam ſingulis ſua adverbia, de quibus nunc agendum eſt.

Adverbia in loco.

Ad ubi reſpondent hîc, illic, iſtîc, ubi, alibi, alicubi, ibidem

bidem, ubique, ubilibet, ubivis, ſicubi, necubi, nuncubi, paſſim, vulgò, inibi, uſquam, nuſquam, peregrè, alicubi, intus, foris, ſuperiùs, inferiùs, ſuprà, infrà.

Adverbia ad locum.

Ad quò reſpondent, Huc, illuc, iſtuc, intrò, foras, eò, eôdem, aliò, aliquò, quoquò, quolibet, quovis, quodam, quoniam, ſiquò, nequò, ultro, citrò, utroque, neutro, peregrè, ſiquam, nuſquam, quocunque, ſupra, infra vel ſuperius, inferius: invenies interdũ, hoc, iſto, illo, pro huc, iſtuc, illuc.

Adverbia per locum.

Ad quæ reſpondent, Hac, illac, iſtac, uſquam, nuſquam, intus, foris, eâ, eadem, quaquà, quacunque, quaque, qualibet, ſiquà, nequà, aliquà, aliâ, utraque & rectà. Terent. *Cur me rectâ introiiſti?* Cic. *Rectà venit ad me.*

Adverbia de loco.

Ad unde reſpondent, Hinc, illinc, iſtinc, intus, foris, undique, undique, cominus, eminus, intrinſecus, extrinſecus, utrinſecus, forinſecus, nuſquam, inde, peregrè, ſupernè, infernè, ſtirpitus, humanitus, radicitus, cœlitus, unde-unde, undecunque, undelibet, aliunde, alicunde, ſicunde, &c. Deinc non loci, ſed ordinis adverbium eſt, pro poſthoc. Abhinc temporis eſt, pro ab hoc tempore.

Adverbia locum verſus.

Ad quorſum reſpondent, Horſum, iſtorſum, illorſum, ſurſum, deorſum, antrorſum, dextrorſum, lævorſum, ſeorſum, ſiniſtrorſum, retrorſum, aliorſum, quoquoverſus, vel quoquoverſum.

Adverbia uſque ad locum.

Ad quouſque reſpondent, Hucuſque, iſtucuſque, illucuſque, hactenus, &c.

Annotatiuncula generalis.

Hic, illîc, iſthîc, &c. eodem modo differunt, quo pronomina hic, iſte, ille. Hic pronomen pertinet ad primam perſonam, & me ſignificat, aut meum, aut quod eſt ubi ego ſum, vel habito, aut de quo loquor. Iſte refertur ad ſecundam, & ſignificat te, aut tuum, aut quod eſt, ubi habitas, vel de quo

loqueris. Ille ad tertiam pertinet & neutrum prædictorum significat, sed tertium quiddam. Plaut. *Quis est quem vidimus venientem pannosum ac squalidum? Illene est noster Syrus?* Is refertur ad absentem. Hîc adverbium significat in loco, ubi ego sum: isthic in loco ubi tu es. Illic in loco ubi est de quo loquimur. Huc, id est ad hunc locum. Istuc, id est ad istum locum in quo tu es. Illuc, id est ad illum locum, in quo nec ego sum, nec tu. Sic dices de alijs.

Ille quidem laudat, contemnit & *iste* vicissim,
Respicit *hic* propius, sed quod magis *ille* remotum.

Ille in oratione emphasin sæpè habet, & ob eminentiam rem quam omnibus notam significare volumus, denotat. Alexander ille magnus. Conjungitur etiam alicui personæ: *Ille ego qui quondam*: Virg. *Túne ille Æneas?* Iste cum rem aliquam cum stomacho aut contemptu indicamus. Terent. *Iste Chærea iste ephebus frater Phædriæ.* Sic cum ad duo antè dicta referuntur hic & ille, hic ad propius & posterius, ille ad prius & remotius refertur. Auson.

Quis neget Æneæ natum de stirpe Neronem?
Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.

Aliquando fit contrà. Ovid. lib. Trist. El. 2.

Quocunque aspicio, nihil est nisi pontus, & æther;
Fluctibus hic tumidus, nubibus ille minax.

Et Livius. lib. 30. *Melior certiorque est tua pax, quàm spes victoria: hæc in tuâ, illa in Deorum manu est.*

DATIVI REGIMEN.

REGULA PRIMA.

FIxa dabunt ternum, substantivo mediante Verbo: quod per *habet* contingit sæpè resolvi.

Omne nomen substantivum potest regere dativum mediante verbo substantivo, quod exponitur per *habeo*: ut Mihi liber est, tibi pecunia, id est, ego librum habeo, tu pecuniam. Virg. *Sancta probis pax est.* --- Idem:

Ludite securè quibus æs est semper in arca.

Dic etiam, Mihi bene est; id est, bene habeo, bene vale-

valeo. Sunt qui dicunt hujus regulæ dativum à nomine regi, mediante verbo substantivo. Alij dicunt regi ab ipso verbo. Suum cuique relinquo judicium.

REGULA SECUNDA.

Ternum pro quarto aut sexto cum præposituris
Ponimus, *It clamor cœlo*, pro more poëtæ.
Cur tibi despicior? Nunc omnibus itur ad aurum.

Dativus ponitur sæpè pro accusativo vel ablativo cum præpositione: ut *It clamor cœlo*, i ad vel in cœlum. *Inferretque Deos Latio.* -- i. in Latium. Despicior tibi, i. à te. Curritur omnibus ad aurum, i. ab omnibus. Tu es mihi visus. Pub. *Mora omnis odio est, sed facit sapientiam.*

Gemini Dativi.

Sunt quædam geminos verba admittentia ternos;

Sunt quæ præter dativum antedictæ regulæ alium admittunt dativum: ut Filia est mihi curæ. Sum tibi auxilio, præsidio, consilio, commodo. Ter. *Sunt hæ tibi nuptiæ cordi?* Horat. *Nec timuit sibi ne vitio quis verteret olim.*

Sic do tibi hanc rem doti, vel dotem. Sum tibi documento vel documentum. Plaut. *Est ager hic nobis sub urbe quem dabo dotem sorori.* Idem. *Nemo id probro ducit Alcmenæ.* Cic. *Habeat me sibi documento*; i. meo exemplo faciat.

REGULA TERTIA.

Acquisitivè si ponas verba, dativum
His dato. Communis fermè omnibus esto dativus.

Omne verbum acquisitivè positum, regere potest dativum rei acquirentis: in cujus honorem, vituperationem, utilitatem, damnum, lætitiam, jucunditatem, favorem, petitionem, & similitudinem, aliquid fieri significamus. Doce mihi prolem. Cic. *Non omnibus dormio.* Virg.

--- *it hasta Tago per tempus utrumque.* Idem. Æn. 2.
--- *ubi templum illi, centumque Sæbæo*
Thure calent aræ. Pers. ad desidem.
--- *tibi luditur, effutis amens, Contemnere.* -- Horat.
Omnem crede diem tibi diluxisse supremum. Ovid.

Casus

Casus ubique valet, semper tibi pendeat hamus:
Quo minimè credis, gurgite, piscis erit.

Cum dativo accusativum regentia.

Hæc casum ternum cum quarto verba requirunt
Comparo, do, reddo, jubeo, contraria *narro,*
Ascribo, mitto, oppono, promittóque, junge
Subjugo cum varijs, quæ lectio multa docebit.

Decuplicia verba dativum cum accusativo regunt. *Primò, verba comparandi.* Comparo, compono, confero, assimulo, accommodo, æquo, exæquo, adæquo, postpono, posthabeo, antepono, antefero: ut comparo Virgilium Homero: vel per ablativum, cum Homero. Horat.

Interdum vulgus rectum videt, est ubi peccat,
Si veteres ita miratur laudátque Poëtas,
Ut nihil anteferat, nihil illis comparet, errat.

Cic. ad Lepid. Hoc esse animo scito omnes sanos, ut mortem servituti anteponant. Confero te Joanni, i. comparo. Confero tibi vel in te beneficium, id est do. Confero me ad villam, i. eo.

II. *Dandi vel reddendi.* Do, dono, impertio, vel impertior, partior, impendo, divido, distribuo, præbeo, lego, legas, exhibeo, concedo, mutuo, commodo, fœneror, stipulor, adhibeo, adjicio, adjungo, admoveo, addo & similia. *Reddendi:* Reddo, restituo, resigno, retribuo, rependo, repono, refero, resolvo, &c. ut par pari refero. Plaut. *Do tibi operam, si quid est quod me velis.* Horat. *Quis scit an adjiciant hodiernæ crastina vitæ tempora dij superi?* Dicimus, dono tibi equum: & dono te equo. Dono te civitate, i. efficio te civem, impertio vel impertior tibi salutem; vel impertior te salute.

III. *Jubendi & prohibendi.* Jubeo, præcipio, mando, impero, injungo, committo, edico &c. prohibendi vero prohibeo, nego, denego, interdico, &c. Jubeo tibi hanc rem: & aliquando jubeo te hanc rem cum duobus accusativis. Cicer. *Non quia aliquid juberem,* subaudiri videtur *facere.* Prohibeo, interdico tibi domum, vel prohibeo, interdico te domo. Plaut. *Damna multa mulierum me uxore prohibent.*

Inter-

Interdico sæpiùs invenies cum dativo & ablativo: te interdico tibi domo mea. Per eosdem casus & impersonaliter lepidè loquimur. Cic. *Malè rem gerentibus patribus, bonis interdici solet.* Passivè dices interdicor aquâ aut igni, aut aqua aut ignis interdicuntur mihi: huc pertinet tempero, & moderor. Plaut. *Linguæ tempera*, temperor iram, & ab ira: moderor tibi & te. Versus.

Interdico tibi carnem vel carne latinum est.

IV. *Nunciandi.* Indicandi, declarandi. Indico, nuncio, declaro, annuncio, insinuo, manifesto, revelo, recludo, refero, patefacio, aperio, monstro, ostendo, significo, lego, interpretor, suggero, dico, prædico, exprimo, narro, enarro, memoro, recenseo, recito, repeto, refero, respondeo, fari, loqui, &c. Indico tibi veritatem: primæ conjugationis secundam syllabam corripit. Indico ventri bellum; i. denuncio, tertiæ, & secundam producit. Dico tibi diem; id est tempus constituo, refero tibi hanc rem; i. narro. Refero ad te; id est in consultationem fero. Quintil. *Non retulit ad matrem, non propinquos consuluit, non amicos. De his rescram ad Senatum* potiùs quàm *hæc referam ad Senatum.* Refero tibi acceptum; id est fateor me accepisse abs te. Cicer. *Vitam acceptam refert clementiæ tuæ.* Respondeo quæstioni & ad quæstionem. Structuram perpendiculo, vel ad perpendiculum respondere oportet; id est convenire. Virg.

Illa seges demum votis respondet avari
Agricolæ; id est, satisfacit.

V. *Vendicandi.* Vendico, ascribo, usurpo, occupo, addico, sequiro, adipiscor, &c. non idem, sed simile quid significantia: ut vendico mihi hunc librum: Ascribo tibi honorem.

VI. *Mittendi.* Mitto, transmitto tibi literas. Sæpiùs mitto ad te, scribo ad te, quàm tibi dicimus. *Legavit Rex ad nos decem Oratores.* Destino tibi literas, pro mitto, raro legitur, sed propriè significat assigno, delibero, constituo.

Virg. *Me destinat aræ.*

VII. *Opponendi.* Oppono, objicio, offundo, &c. Cicer. in Sallust. *Ego meis majoribus virtute mea præluxi: Tu tuis, vitâ tuâ, quam turpiter egisti, magnas offudisti tenebras: quare noli mihi antiquos viros objectare.*

VIII.

VIII. *Promittendi.* Spondeo, despondeo, promitto rogatus, polliceor ultrò, pollicitor, recipio: ut Redde quæ coram recepisti mihi; i. promisisti. Recipio te, notum est. Do tibi fidem; i. sanctè promitto: Habeo fidem; i. credo.

IX. *Verba* Subjugandi, subjicio, submitto, supero, debello: ut Rex subjugavit sibi hosteis. Horat.

-- *Mihi res, non me rebus submittere conor.*

X. *Varia verba,* de quibus non est certa regula, dativum & accusativum postulant: ut Minor, interminor, debeo, invideo. Plin. *Neque ego, ut multi, invideo aliis bonum, quo ipse careo.* Debeo tibi vitam. Assuesco pro assuefacio: nam alioqui solum dativum habet. Quint. de puero. *Non assuescat, nedum insans quidem est, sermoni qui dediscendus sit.* Suadeo, persuadeo. Plaut. *Odi ego aurum, multa multis sæpe suasit perperam.* Impono urbem monti. Impono tibi, i. decipio te. Commendo te Regi; i. amicè committo. Commendo te apud Regem, i. laudo, credo, fido, confido, committo. Terent. *Ah scelestè, ovem lupo commisisti.* Dico etiam fido, confido hac re. Formido, metuo, timeo te, ne quid mali mihi facias. Publ. *Inimicum quamvis humilem docti est metuere,* formido, metuo, timeo tibi, ne quid mali tibi contingat: ut *Metuo tibi infortunium.*

Annotatiuncula generalis.

Quemadmodum dativus sæpè ponitur pro accusativo aut ablativo cum præpositione, ita vicissim quandoque accusativus aut ablativus mediante præpositione, verbis adhærent loco dativi: hinc variam constructionem multa verba sortiuntur; ut Loquor tibi, vel ad te, vel loquor tecum. Misceo aquam vino, vel cum vino. Nitor hastæ, vel hastâ, vel in hastam, sed peculiare est, Nitor ad rem. Fabius. *Altiùs ibunt qui ad summa nituntur.* Huc plurima sanè pertinent verba, quæ diligenti lectione observanda ac usu, qui ubique multum potest, discenda censeo.

Verba dativum ut proprium casum regentia.

Tertius est verbis proprius natis, *fore. sum, fit,* Aque manente *facit.* Poscunt hunc sæpè per *ob, con, Ante, sub, inter, ad, in, post, præ,* conjuncta Quibus do

Occurro

Occurro, faveo, ſtudeo, medeórque & adulor,
Auxilior, famulor, noceo: ſed dat *juvo* quartum.
Pareo, præſideo, pugno, cum parcere, grator.
Quæque frequenter erunt imperſonalia junge
Contingit reſtat placet, evenit, accidit, & *fit,*
Sufficit, & *conſtat, libet,* & *liquet.* & *dolet,* adde
His vacat, & *conducit,* & *expedit,* & *licet* atque
Convenit & *præſtat;* ſed dicito, *pertinet ad me:*
Attinet & *Spectat,* rectè conjungimus iſti.
Multa regunt ternum, quibus haud eſt regula certa.

Dativum ut proprium caſum regunt verba undevigecuplicia.

Primò. Compoſita à Fore, dativum ſibi proprium exigunt: ut Spero hæc mihi profore. Utinam Joannes adforet nobis. Cic. Sulpitio. *Major mihi ratio adfore nulla poteſt, quàm conjunctio conſuetudinis, ſermonumque noſtrorum*

II. Compoſita à ſum: ut Adſum, deſum, obſum, proſum, abſum, inſum. Publ. *Luxuriæ deſunt multa, avaritiæ omnia.* Aſin. Pollio. Cicer. *Neque deeſſe, neque ſupereſſe Reipublicæ volo;* id eſt ſuperſtes eſſe. Superſum labori; i. vinco laborem. Quædam pro dativo vel accuſativum vel ablativum additâ præpoſitione ſortiuntur. Dicimus enim, adſum pugnæ, adſum in pugna vel adſum ad pugnam, proinde puer hæc memineris jam datæ annotatiunculæ.

III. Compoſita à *Facio* & *Fio*: ubi facio non mutat a in i: ut Satisfacio tibi, ſatisfit tibi. Maleſacio, beneſacio patri. Salluſt. *Pulchrum eſt beneſacere Reipublicæ.* Brut. Cic. *Cui regratias vix referre poſſum, huic verbis non patitur res ſatisfieri.*

IV. Cum præpoſitionibus quibuſdam compoſita. Verba plurima cum his præpoſitionibus, Ob, Con, Ante, Sub, Inter, Ad, In, Poſt, Præ compoſita, dativum poſtulant.

OB. Occumbo, obluctor, obrepo, obgannio, obmurmuro, occino, obturbo. Virg. *--- in utrumque paratus,*
Seu verſare dolos, ſeu certæ occumbere morti.
Idem. *--- genibuſque adverſa obluctor arena.*

CON-

CON. Condormio, consono, colludo, convivo. Commoriot tibi, vel tecum. Cic. *Omnis oratio moribus consonet.* Terent. *Ex Andro commigravit huic viciniæ.* Et nomina quædam à con composita, dativum habent: ut concolor corvo, cognominis Paulo.

ANTE. Antecello, antecedo, anteeo, antesto, anteverto illi vel illum doctrinâ. Cic. pro Arch. *Antecellere omnibus ingenij gloriâ contigit.* Plaut. *Virtus omnibus rebus antei.* Terent. *Miror ubi ego huic anteverterim*; i. hanc præcesserim. Sueton. in Aug. *Magnificentiâ omneis anteceſſit.*

SUB. Succedo tibi, subjicio, subjaceo, suboleo; ut pecunia fortunæ subjacet. Virg. *Nostris succede penatibus hospes.* Plaut. *Subolet jam uxori, quod ego machinor.*

INTER. Interfero, interſono, intervenio, interſum, intermisceo, intermico: ut Lupus intervenit fabulæ. Claud.

--- *Rutilum squamis intermicat aurum.*

AD. Arrideo, acclamo, asto, acquiesco, allideo, adhæreo, appropinquo, allabor, admolior, adigo: ut Lucretia adegit cultrum cordi. Horat. *Parcus ob hæredis curam, nimiúmque severus, Assidet insano.* Virg. --- *Antiquis Curetum allabimur oris.*

IN. Impendo, insurgo, insusurro, inhio, innitor, immoror, inhæreo, insideo saxis. Cic. *Omnibus quorum mens abhorret à ratione, semper aliquis alijs dolor, alijs terror impendet.* Virg. *Vela cadunt, remis insurgimus.* Immineo, incesso, immitto illi vel illum. Ovid. *Imminet exitio vir conjugi, illa mariti.* Cic. *In nostras fortunas imminent.* Virg. *Regibus inceſſit magno discordia motu.* Sed incesso, & alia nonnulla ab in composita, accusativum quoque exigunt sine præpositione, per regulam quintam constructionis accusativi. Licet incesso aliquando habeat accusativum cum in. *Liv.* Incesſit morbus in castra. Intendo vires; i. extendo. Intendo animum studijs; i. do operam studijs. Horat. lib. 1. Ep. 2.

Invidiâ vel amore vigil torquebere si non
Intendas animum studijs, & rebus honestis.

Virg. *Incubuitque toro, dixítque novissima verba.*

POST. Postpono famam pecuniæ, Posthabeo: Posthabui tamen illorum mea seria ludo.

PRÆ.

PRÆ. Præpondero, præniteo tibi fide. *Cic.* Suis majoribus virtute præluxit. Præcurro, præeo, præcedo, præſto omnibus vel omnes. *Plaut.* Veſtræ fortunæ meis præcedunt. *Cæſar.* Helvetij reliquos Gallos virtute præcedunt. *Cic.* Hoc præſtat amicitia propinquirati, quòd ex propinquitate benevolentia tolli poteſt, ex amicitiâ non poteſt. *Quint.* Præſtat ingenio alius alium.

V. Verba occurrendi dativum habent. Perſ. *Venienti occurrite morbo.* Sic obvio, obſto, obſiſto, occurſo. Virg.

Occurſare capro, cornu ferit ille, caveto.
Principijs obſta ſerò medicina paratur,
Cum mala per longas invaluêre môras.

Obvius nomen, & obviam adverbium, ſimiliter dativum regunt: ut Sum tibi obvius: Venio tibi obviam. Sic prævius. Ovid. *Prævius auroræ lucifer ortus erat.*

VI. Verba favendi: ut faveo amico. Sic annuo, arrideo, ſubſcribo, conſentio, aſſentio, vel aſſentior, hæreo, adhæreo: aſtipulor, concinno, ſuffragor, accedo, bene volo, bene cupio, bene opto, &c. Virg. *Jupiter omnipotens audacibus annue cœptis.* Cic. *Senatus mihi aſſenſus eſt.* Aſſentior quandoque regit accuſativum cum dativo. Cic. primo de Oratore. *Cætera aſſentior Craſſo.* Idem. *Quare tibi, Antoni, utrumque aſſentior.* Virg. *Aſpirat primo fortuna labori*; i. favet, auxiliatur. *Cic.* Ad hanc laudem aſpirare non poſſunt; i. de hac laude acquirendâ, ne ſperare quidem poſſunt. Accedo tuæ ſententiæ; i. aſſentior. Novum plerunque infortunium novo accedit dolori, ſive ad novum dolorem; i. adjungitur.

VII. Verba ſtudendi, & diligentiam adhibendi. Studeo, intendo, indulgeo, inſiſto, inſto, inhio, inſudo, invigilo, innitor; vaco, inhæreo, operam do, impendo, navo, adhibeo operam: ut ſtudeo Grãmaticæ, invigilo pecuniæ. *Cic.* Quantùm quiſque Reipublicæ ſtuduit, tantùm mihi fuit aut amicus aut adverſarius. Studeo pro vehementer cupio, aut volo regit accuſativum. *Idem.* Unum ſentitis, unum omnes ſtudetis. Dicimus incumbo laudi, & incumbo ad vel in laudem. *Tullius.* Mi Plance, incumbe toto pectore ad laudem. *Idem* Incumbe, per Deos immortales, in eam curã & cogitationem,

quæ

quæ tibi ſummam dignitatem & gloriam afferat. Attendo juri vel jus. Inſiſte negotio ſapienter; i. da operam. Inſiſte bonorum veſtigijs, i. innitere. Habet etiam accuſativum. Virg. *Nulli fas caſto ſceleratum inſiſtere limen.* Inſto operi, i. diligenter inſiſto: inſto opus; i. aggredior, facio opus. Tibi multa bona inſtant à me, i. futura ſunt. Virg. lib. 8.

Heu quantæ miſeris cædes Laurentibus inſtant!

Vaco pro ceſſo aut careo, capit ablativum cum à vel ab: ut Vaco à labore, à ſtudio, i. non laboro, non ſtudeo. Cicer. *Vacare à culpâ magnum eſt ſolatium* Quandoque præpoſitio omittitur. Idem. *Nullum eſt tempus quod juſtitiâ vacare debeat.* Hujus conſtructionis cauſam require in regula nona genitivi.

VIII. Medendi, medeor & medicor, & ſi qua ſunt his ſignificatione conformia. Virg. *Senibus medicantur anhelis.* Lact. *Circumſpice conſcientiam tuam, & iniquitatum medere vulneribus:* Legitur etiam utrumque cum accuſativo.

IX. Adulandi verba: Adulor, blandior, aſſentior, applaudo, lenocinor, palpor: ut Adulor diviti, blandior matri, aſſentior nobili. Indoctis applaudet plebecula. Cicer. *Tibi ſervict, tibi lenocinabitur.* Plaut. *Obſervatote quam blandè mulieri palpabitur.* Palpo palpas, idem quod palpor acculativum regit, aut dativum.

X. Verba auxiliandi. Auxilior, ſubvenio, ſuccurro, adminiculor, opitulor, patrocinor, commodo, ſubeo, proſpicio, provideo, caveo, conſulo, de quo dictum eſt latius: ut Auxilior, ſubvenio pauperi. Caveo tibi; i. proſpicio. Lege cautum eſt; i. proviſum eſt. Caveo periculum; i. fugio. Caveo te, vel à te; i. provideo ne mihi noceas. Plaut. *Qui cavet ne decipiatur, vix cavet, quem etiam cavet.* Conducit, conſert huic rei, vel ad hanc rem; i. utile eſt. Juvo accuſativum habet, olim etiam dativum.

XI. Verba famulandi: ut Famulor diviti. Sic ancillor, ſervio, inſervio. Eraſm. *Nil magis optandum, quàm ut Sacerdos immunis a conjugio, liber ac totus ſerviat domino.*

XII. Nocendi verba: Noceo, reſiſto, inimicor, reluctor, obnitor, inſidior, obloquor, detraho, ſuccenſeo, indignor, iraſcor, derogo, obtrecto, incommodo, afficio, renitor, injurio

injurio, adversor, obsisto, obsto, renuncio, dissentio, refragor, invideo, malevolo: ut Noceo nemini: Deus superbis resistit: Horat. *Eutrapelus cuicunque nocere volebat, Vestimenta dabat pretiosa.* --- *Terent.* Senex de Davo. Quem ego credo manibus pedibusque obnixè omnia facturum, magis id adeò mihi ut incommodet, quàm ut obsequatur gnato. Derogo, & detraho tibi vel de te. *Cic.* Indignum est de lege aliquid derogari, aut legem abrogari. *Idem.* Ille in Achaiâ non cessat de nobis detrahere. Æmulor *illi*, i. invideo. Æmulor illum, i. imitor. Illudo, insulto *illi vel illum.* Aliquando Lædo illi per dativum veteres dixêre: nunc vero Lædo illum.

XIII. Verba parendi sive obediendi, Pareo, obedio, obtempero, acquiesco, morigeror, obsequor, geniculor, supplico, audio, auscultо, cedo, concedo, ut Pareo magistro, obedio patri.

Tibul. *Longa dies homini docuit parere leones.*

Audio tibi, vel audio te, id est obedio. Cic. *si me audies, tollis inimicitias.* Audio cum dativo rarius est. Audiens facto sæpissime legitur: sed hic audiens nomen est, teste Diomede. Auscultо autem pro obedio, plerumque dativum habet. Davus apud Terent. *Nec quid agam certum est, Pamphilumne adjutem, an auscultem seni.* Cedo, concedo tibi, id est locum do.

Ovid. *Cedit amor rebus, res age, tutus eris.*

Cedunt mihi hæc bona, id est, in jus meum veniunt. Concedo fato, id est morior.

XIV. Verba præsidendi: ut præsideo, præsum, &c. Cic. *Debeo sperare omnes Deos, qui huic urbi præsident, mihi ac meis relaturos esse gratiam.*

XV. Pugnandi verba poëticè dativum regunt, apud Oratores & historicos ablativum habent intercedente *cum*, elegantissimè accusativum etiam cum præpositione *in*: Pugno tibi vel tecum, vel in te: sic Certo, digladior, concurro, confligo, &c. Virg. *Montibus in nostris solus tibi certet Amyntas.* Cic. *Æquitas, temperantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes, certant cum iniquitate, luxuriâ, ignaviâ, temeritate, cum vitijs omnibus.* At rebello, repugno: & quædam

alia

alia, nusquam non dativum habent. Plin. *Difficilius est vo. luptati repugnare quàm iræ.* Ovid.
--- *Ignavis precibus fortuna repugnat.* Sunt item quæ accusativum habent sine præpositione, veluti debello, & expugno.

XVI. Verba parcendi, & veniam dandi, ut parco, ignosco Publ. *Bonis nocet, quisquis pepercit malis.* Plaut. *Stultitiæ adolescentiæque ejus ignoscas.* Ignosco potest habere accusativum cum dativo: Idem. Nunc hoc mihi ignoscas quæso. Sic parco pro conservo. Virg. *Multa tulenta gnatis parce tuis.*---

Parce lacrymis, injuriæ, vindictæ, metui, i. abstine à lacrymis, ab injuria, &c. Virg. *Parce metu,* pro metui, antiquus Dativus est. Dicimus etiam per infinitivum, Parce lacrymari. Virg.

Parce pias scelerare manus.---

XVII. Verba gratulandi. Gratulor & grator poëtis historicisque proprium. Ovid. *Gratulor huic terræ quod abest regionibus illis.* Virg. *Inveni, germana, viam, gratare sorori.* Dicimus gratulor tibi hanc rem, hac re, & de hac re. Cicer. *Gratulor tibi victoriam.* *Idem* Gratulor tibi affinitate viri medius fidius optimi. *Idem.* Quod mihi de Italiâ gratularis, agnosco humanitatem tuam. His cognata sunt gaudeo, gratificor, & gratum facio. *Cic.* Tibi gratulor, mihi gaudeo.

XVIII. Quædam verba cum infinitivo impersonalia, sine eo personalia (sed rarò aliter quàm in tertiâ personâ) regunt dativum: ut Contingit, restat, & reliqua versibus comprehensa, quibus cognitis, non erit labor synonymorum, & contrariorum constructionem perspicere, qualia sunt: cbtingit, obvenit, perplacet, displicet, superat, supersest, reliquum est, collibet, sedet, patet, &c. De impersonalibus exempla.

Horat. *Non cuivis homini contingit adire Corinthum.* Ovid. *Non vacat exiguis rebus adesse Jovi.* De personalibus. Hor. *Quod satis est cui contingit, nihil amplius optet.* Publ. *Cui plus licet quam par est, plus vult quàm licet.* Stat & præstat impersonalia raro dativum habent expressum. Virg. *Stat casus renovare omnes.* Sallust. *Nonne emori per virtutem præstat, quàm vitam per dedecus amittere?* Pertinet, attinet, spectat ad me, dicendum est, non autem mihi.

XIX. Multa regunt dativum, de quibus certa non constat

ste regula : ut Sto judicio. Cano recepsui, ut milites à pugna redeant. Cano progressui, ut ad pugnam progrediantur. Intercedit mihi tecum amicitia. Dativus interdum solius affectionis causa verbis appingitur : ut Suo sibi hunc jugulo gladio. Horat. *Quid mihi Celsus agit ?*

Ex adjectivis, quæ ternum jure requirunt ;
Derivata leges constructa adverbia terno.

Adverbia quædam admittunt dativum nominis adjectivi, unde deducta sunt : ut prodire alicui obviam, canit similiter huic. Fecit inutiliter sibi, Propinquius tibi, proximius illi, Congruenter naturæ, obvius enim, similis, inutilis, &c. Gaudent Dativo. Horat.

Vivere naturæ si convenienter oportet.

REGIMINIS ACCUSATIVI

REGULA PRIMA.

Ante volunt quartum verba infinita, suorum
Post casum. Præ nulla supina, gerundia nulla
Dant casum, dabitur verbi post casus agentis,
Nisi sit in *u* : post nil capit hoc, vult mobile præ se.
Post etiam sequitur sua participans benè verba.
Nam regimen fit idem, si significatio par sit.

Omne infinitum verbi personalis potest ante se regere accusativum post se autem casum verbi à quo descendit : ut Hominem parere Deo æquum est. *Terent.* Meum gnatum rumor est amare. *Idem.* Qui postquam audierat filio suo non datum iri uxorem. *Cic.* Hanc sibi rem præsidio sperant futurum. Hic non repeto nominativum verbi finiti, rejectis participiis, quòd, ut, aut simili, in accusativum ante infinitivum mutari, proinde refer animum ad syntaxin nominativi, ubi & alia de infinitivo dicta invenies, regulâ *Ante capit rectum, &c.*

Gerundiorum & supinorum constructio.

Præ nulla supina, gerundia nulla, &c. Nec supinum, nec gerundium regit ante se ullum casum : sed post se regit casum verbi

verbi activæ significationis: & sicut dicimus, lego historiam, ita venio causâ legendi historiam, vado lectum historiam.

ANNOTATIUNCULA.

Casum dico verbi activæ significationis: quia ubi gerundium & supinum passivè capiuntur, non admittunt ablativum verborum passivè significantium: sed ponuntur absolutè, teste Valla: ut malè dicitur, liber est difficilis ad intelligendum à nobis. Non venio vapulatum à te. Omittenim debet ablativus juxta probatorum consuetudinem. Virg. --- *Alitur vitium, crescitque tegendo.* Idem. *Uritque videndo fœmina.* -- Quint. *Memoria excolendo, sicut omnia alia, augetur:* i. dum tegitur, videtur, excolitur. Refragantur Vallæ, Sulpitius & Calepinus, verùm ipsi exempla fingunt, nulla è doctis afferunt.

Gerundiorum casus.

Quatuor sunt gerundiorum casus: Nominativus in dum ut Petendum. Genitivus in di, ut petendi. Accusativus in dum: ut petendum: Ablativus in do, ut petendo. Solvendo non sum, dubitari potest (inquit Valla) dativus sit, an ablativus: utcunque est, gerundia dativi casus rarissimè inveniebantur apud probatos scriptores. Jungimus tamen solvendo dativum. Quint. *Pauperi solvendo non sumus.*

De Gerundio Nominativi casus.

Finitis in dum, *fuit, est, erit,* adjiciatur:
Quando necesse notant, fermè comitante dativo.

Gerundium nominativi casus verbo substantivo adhæret; cum quo necessitatem quandam indicat. Juvenal. *Vivendum est rectè.*
Horat. *Si vis me flere, dolendum est: Primùm ipsi tibi:* ---
Ovid. *Utendum est ætate, cito pede labitur ætas.*
Cic. *Iterandum eadem ista mihi,* subauditur *est.*

De gerundio genitivi casus.

In di adjectivis, aut junge gerundia fixis:
Juncta leges patrio plurali nomine quarti.

Gerundia in di (quæ sæpissimè capiuntur activè: ut causa discendi isthuc venio, i. ut discam. Passivè rarò: ut Misilium Coloniam erudiendi causa, i. ut erudiatur. *Justin.* Athenas

Athenas erudiendi gratiâ missus, quantò doctior majoribus suis, tantò & gratior populo fuit.) Junguntur nominibus substantivis amor, causa, occasio, tempus, locus, ratio, gratia, opportunitas, & similibus: ut Amor habendi, causa peregrinandi, tempus tacendi. Ovid. *Carpe cibos digitis, est quidam gestus edendi: Ora nec immundâ totâ perunge manu.* Junguntur etiam indi adjectivis: ut Certus eundi, peritus navigandi. Notandum hic est, infinitivum pro gerundio poni hujusmodi nominibus appositum. Virg. *Sed si tantus patet casus cognoscere nostros, Et breviter Trojæ supremum audire laborem, Incipiam.* --- Amor cognoscere & audire, pro cognoscendi & audiendi, sive ut cognoscas & audias. Ovid. *De juventute & senectute. Hæc dare consilium, pugnare parare illa est: Hæc ætas bellum suadet, at illa gerit.* Parare pro ad dare consilium, i. ad dandum consilium. Sic pugnare, pro ad pugnandum. Habent interim in di gerundia genitivum pro accusativo præsertim in plurali, licet Valla neget vitio carere; ut Composui hunc librum instituendi puerorum gratia: Virg. *Cum illorum videndi gratiâ, me in forum contulissem.* *Illorum*, pro *illos* dixit.

De gerundio Accusativi casus.

Ad dum quod finit, gaudet præponere *ad*, *inter*, Varius *ante*, vel *ob*, vel *circa* jungitur illi.

Gerundia in dum (quæ sæpissimè significant activè: ut Inter legendum hoc notavi, id est dum legerem, passivè vero rarò, ut Persij carmen ad intelligendum est difficile.) Ponuntur cum ad, ob, circa, propter, ante & inter. Virg. -- *Ante domandum Ingentes tollunt animos*, -- Erasm. *Ne inceps sis ad loquendum.*

De Gerundijs ablativi casus.

In do, præcedunt *in*, *ab*, *ex*, *cum*, *de*, similesque. Atque etiam dices, *scribendo scribere discet.*

Gerundia in do (quæ aliquando activè significant; ut Hos occidendo: illos accusando totam civitatem labefactâsti. Aliquando capiuntur passivè: ut Memoria excolendo augetur.) Apponuntur dictionibus quæ ablativum requirunt: Ex defendendo, quàm ex accusando, uberior gloria comparatur

ratur. Quint. *Ratio rectè scribendi, juncta cum loquendo est.* Interdum absolutè ponuntur: ut Scribendo discès scribere.

Gerundiva Nomina.

Ornatiùs per gerundiva loquimur, quàm per gerundia. Conveniunt autem gerundiva cum dictionibus per gerundia rectis in genere, numero, & casu: ut Causâ habendæ pecuniæ tibi famulor, per gerundium diceres, causa habendi pecuniam. Sic per gerundium dicimus, petendum est pacem: Per gerundivum, petenda est pax.

Gerundivorum Nominum casus.

Gerundiva in vocativo vix unquam reperiuntur. In nominativo rara sunt absente verbo substantivo, quale est hoc Virg. -- *Volvenda dies en attulit ultro;* i. quæ volvitur, Gerundivorum obliquis sæpè utimur. Ovid. *Nunc fœcundus ager, pecoris nunc hora creandi, Nunc avis in ramo tecta, locumque parat,* Virg. *Tantus amor florum, & generandi gloria mellis.* De dativo. Vaco agro colendo, vineæ pastinandæ, nemori succidendo. De accusativo. Cic. ad Catilinam *Vivis & vivis, non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam* De ablativo. *Laboravi in colendo agro, in conficiendâ epistolâ.* Cicer. *Orationem autem Latinam profectò legendis nostris efficies pleniorem.*

APPENDIX.

Verbis quæ motum signant, prius adde supinum.

Supina in *um* apponuntur verbis aut participijs motum significantibus: ut Eo venatum. Vel clam indicantibus motum: ut Do filiam nuptum. Plaut. *Heu senex! pro vapulando herclè ego abs te mercedem petam. Coctum ego, non vapulatum, dudum conductus fui.* Horat. *Spectatum admissi risum teneatis amici.* Supina in *u* elegantissimè construuntur cum adjectivis sine ullo regimine. *Plin.* Accipenser piscis rarus inventu. *Cic.* Non facile est dictu, quantopere conciliet amicos comitas, affabilitásque sermonis. Ovid.

Turpe quidem dictu, sed si modo vera fatemur,
Vulgus amicitias utilitate probat.

(Post etiam sequitur sua participans, &c.) Omne participium regit post se casum verbi sui, ut sicut dicimus: Ad

DEUS

DEUM: ita amans DEUM, & amaturus DEUM: ita amor à DEO: ita amatus & amandus à DEO: sic serviens DEO, vapulans à magistro. Verborum communium in *ns* & *rus* participia, regunt accusativum patientem, in *dus* ablativum agentem mediante præpositione. In *tus* utrumque admittunt casum, accusativum in significatione activa, ablativum in passiva.

Dum mutat regimen, fit participans tibi nomen:
Comparat, & tempus, dum perdit significatum:
Adde his compositum, dum simplex sit tibi verbum.

Participium transit in nomen quinque modis: Constructione, cum alium quàm verbum regit casum. Ut scitus vadorum, acceptus tibi. Comparatione: ut Amans nomen est, unde facit comparativum amantior. Compositione, quoties aliter componitur quàm verbum: ut illæsus, innocens, nomina sunt, quia non dicimus illædo, innoceo. Amissione temporis, ut *Palleat omnis amans.* Beatus pro divite. Amissione significationis, ut indictus pro non dictus, quia indico minimè significat non dico: sic ingenitus pro non genitus, amandus pro amari dignus.

(*Nam regimen fit idem, &c.*) Cur Gerundia, Supina, & participia, regant casus verborum suorum, ratio hæc est. Ubi significatio est eadem, idem erit & regimen.

APPENDIX.

Per eandem rationem nomina quædam pro participijs poscunt verborum casus regunt: ut Præscius futura, populabundus agros. Justin. *Gratulabundus patriæ expiravit.* Itidem & verba neutra pro activis, habent activorum casus: ut Amo regit accusativum, ergo etiam ardeo pro vehementer amo.

Virg. *Formosum pastor Corydon ardebat Alexin.*

Sic pereo, depereo puellam. Huc pertinent accusativum proprij actus regentia, veluti curro longum cursum. Vivo vitam. Gaudeo gaudium. Servio miseram servitutem. Cic. *Ridemus gelota sardonion*; i. risum sardonium. Juven. *Qui Deos simulant, & Bacchanalia vivunt.* Præterea verba ad sonos pertinentia sæpè pro activis sumuntur: ut — *nec vox hominem sonat*; id est, sono exhibet. *Olet unguenta. Oratio*

Demosthenis olet lucernam. Sapit vas. Sapit adustionem. Dicimus etiam pluit sanguinem, & sanguine, vel sanguis pluit.

Appendix altera,

Permultis verbis infinitivus adhæret.

Infinitivus aliquando finiti modi verbo adhæret : ut cupio scire, vereor dicere.

Regula Accusativi secunda.

Omne dat activum, tolle *interdicere*, quartum :
Hoc verbum sextum pro quarto sæpiùs optat.

Omne verbum activum regit post se accusativum rei patientis, qui in oratione passivâ fit nominativus : ut Amo Deum, Deus amatur à me. Aras terram, terra aratur à te. Puer osculatur matrem, mater osculatur à puero. A regulâ excipitur interdico, quia pro accusativo sæpiùs ablativum habet, ut diximus : Potes etiam excipere jubeo & invideo, ut Jubeo & invideo tibi, tu juberis & invideris à me. At à multis passivis abstinendum est, teste Diomede, quia venustiùs per impersonale dices jubetur & invidetur mihi.

ANNOTATIUNCULA.

Activum verbum igitur hîc voco, quod ab alijs transitivum dicitur : & differt à verbo activi generis. Verbum activi generis est quod in *o* desinens acceptâ *r*, facit ex se passivum, præter facio, cujus passivum est fio. Verbum activum est quod agere significat, sive in *o*, sive in *r*, desinat; ante se regens nominativum agentem, post se vero accusativum patientem : ut Diligo, oro, operior, criminor. Horat.

Sedulitas autem, stultè quem diligit, urget. Idem.
Nec tardum opperior, nec præcedentibus insto.

Pertinent igitur ad hanc regulam non solùm verba activi generis, verùm etiam neutra, deponentia & communia. His notabis obiter, quòd, quæcunque neutra accusativum patientem regunt, tertiam habeant passivi generis personam, & quatuor participia : duo in significatione activa, ut seminans seminaturus : duo in passiva, ut seminatus & seminandus.

REGULA TERTIA.

Celo, rogo, doceo, geminant, ut *vestio*, quartos

Dice-

iversos: dices *veniam* quoque *poscimus abs te*: *duo veste patrem*, dic: aut *vestem induo patri*: *em tibi*, vel *de re te celo*, dicimus aptè. *te doceo de Grammaticâ*, tu dicito parcè.

Celo, cum verbis rogandi, docendi, vestiendi, regit duos usativos pro diversis acceptos: ut Celo te arcana mea. Doo discipulos poësin. Rogo Magistrum veniam. Induo te tuam. Sed rogandi; i. precandi, & interrogandi verba adtunt quandoque ablativum pro altero accusativorum: ut nemine percontaberis ea, quæ tua non interfunt. Virg. *Ipsum obtestemur, veniámque oremus ab ipso.*

Cicer. *Legem sibi indicunt innocentiæ, virtutum omnium, ab altero rationem vitæ reposcunt.* Supplico semper dam habet. Terent. *Ipsum hunc orabo, huic supplicabo.* Verbi vestiendi mutant interdum accusativum personæ in dati: ut Induo tibi tunicam: Rei vero in ablativum, ut induo unicâ. Ovid. *Fluminâque obliquis cinxit declivia ripis.*

Personam hic voco, quicquid patitur: *Rem*, quod neque it, neque patitur. Eodem planè modo variat celo: ut Celo consilium meum: Sed hoc ablativo rei dat præpositionem. Bassus noster de hoc me libro celavit. Cælo pro sculpo non pertinet. Quamvis invenitur Doceo te de hac re. Iust. *De itinere hostium Senatum docco.* Non tamen libenter dicerem, Doceo te de hac re, Instituo, imbuo, & inuo, exigunt ablativum, sine præpositione: ut *Intexerit ultum quibus moribus puerum instituas.* Horat.

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem Testa diu. --- ro. *Si tibi sunt nati, nec opes, tunc artibus illos Instrue.* --

ANNOTATIUNCULA.

Dixi duos accusativos pro diversis acceptos: quia duos acsativos ad eandem rem pertinentes: aut qui significantur ad ndem rem pertinere, benè regunt alia verba: Voco te hoem. *Circe fecit homines lupos & leones.*

APPENDIX.

uorum activa duos varios jungunt sibi quartos, orum passiva rei quartum modò poscunt.

Passiva verborum duos accusativos diversos regentium

priore accusativo in nominativum mutato posteriorem admittunt, qui ferè est rei inanimatæ: ut Rogo te veniam. Tu rogaris à me veniam, doceo discipulos Grammaticen, discipulus docetur Grammaticen, non Grammatice docetur discipulum. Virg. 2. Æn. 505.

Arma diu senior desueta trementibus ævo
Circundat nequicquam humeris, & inutile ferrum
Cingitur. -----

REGULA QUARTA.

Delectat, decet atque *juvat*, da quarto & *oportet*.

Hæc quatuor verba, Delectat, decet, juvat, oportet, accusativum post se capiunt, & cum infinitivo impersonalia dicuntur, cum nominativo ante se, personalia: ut Delectat me studere, aut delectat me studium. Decet sacerdotem castè vivere, aut decet sacerdotem casta vita. Juvat nos aspicere aqua, aut juvat nos aspectus arvorum. Dubium videri potest an oportet accusativum habeat. Si enim dicas: Oportet te ire, te non regitur ab oportet. Sane ubicunque hoc verbū personaliter invenitur, post se nusquam habet accusativum, cui quo alia tria passim occurrunt. Horat. *Quem res plus nimiæ delectâ vere secundæ, Mutatæ quatient.* Idem. *Parvum parva decent.* Ovid. *Scilicet interdum miscentur tristia lætis: Nec populum toto pectore festa juvant.* Dedecet, ostendit, lædit, & alia nonnulla cum infinitivo impersonalium quoque naturam accipiunt: ut *Indulgere Baccho offendit cerebrum.* Antiqui decet ponebant cum dativo more Græcorum. Ter. in Adel. *Ut vobis decet.*

REGULA QUINTA.

Compositum quandoque dabit sibi præposituræ
Casum: Quocirca quartum, sextumque dat *exit*:
Sæpè quidem docti repetunt benè præposituram.

Verbum compositæ figuræ regit aliquando casum præpositionis cum quâ componitur: ut Adeo Petrum. Circumsistimus magistrum. Plaut. *Me miserum! ad hunc modum decies die uno sæpè extrudit ædibus.* Horat. -- *Deus immortalis haberi Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Ætnam Insiluit.* ---- Idem. ---- *Hæres hæredem alterius velut unda super-*

venit undam. Dicimus Exeo & egredior domo vel domum, quia e, ex, & extra in compositione idem valent. Sæpe præpositio repetitur, ut Egredior è templo. Cic. *Extra muros egredi conabor.* Ter. *In amore hæc omnia insunt vitia, injuriæ, suspiciones, inimicitiæ, induciæ, bellum, pax rursum.* Ne quis in repetitione præpositionis pleonasmum admitti putet, sequens notanda est regula.

Æquivalens geminis, harum si jungitur uni
dictio, pro reliquâ tantummodò debet haberi.

Quoties dictio æquivalet duabus dictionibus in significando ipsi altera illarum jungatur capitur solùm pro reliquâ; ut Sum in lectione, id est sum in lectione: Opusculum significat parvum opus, at si parvum apponatur, habetur pro privativo. Cic. in Paradox. *Accipies igitur hoc parvum opusculum.* Sed hoc modo diminutivis utimur ob vehementiorem rei depressionem. Huc non respexerunt, Lancil. Peror. & Pergomates, qui negant nemo idem significare, quod nullus homo, quia Livius superfluè dixisset, Nemo hominum, & Ter. *Hominem callidiorem vidi neminem, quàm Phormionem.* Sed certè in his & similibus, nemo solùm, pro nullus ponitur. Quòd verò idem Livius ait: Nemo Deorum: & Virg. *Nec, quod optanti divûm promittere nemo Auderet, volvendis en attulit ultrò.* Tolerabilis acyrologia est, teste Servio. Ipsa autem Etymologia indicat nemo ad homines peculiariter pertinere, constat enim à *ne* & *homo*, ut cum Servio, Pompeius Festus testatur.

REGULA SEXTA.

Quàm poscendo *diu*, quartum vel ponito sextum
Cum quovis verbo: secùs ablativus adesto.

Omne verbum regere potest accusativum vel ablativum temporis sine præpositione, aut accusativum cum præpositione *per*, ubi quæstio fieret per *quamdiu* & *quamdudum*, aut per *quampridem* delongiori tempore quærens. Quamdiu habitasti Lutetiæ? Tres annos, vel tribus annis, vel per tres annos. Quamdiu obijt pater tuus? Ab hinc tres dies, vel tribus diebus. Cic. ad Attic. *Quod quæris quamdiu hîc?*

paucos dies: sed certum non habeo quamdiu. Virg.

Noctes atque dies patet atra janua Ditis.

Cic. *Tenuisti provinciam per decem annos.* Suet. de Caligula. *Vixit annis 29. imperavit triennio, & decem mensibus diebúsque octo.* Venustius tamen tempus continuum per accusativum effertur. Plaut. *Quasi claudus sutor domi sedet totos dies.* (*Secus ablativus adesto.*) At quæstione facta per *quando*, aut *quanto tempore*, pro intra quantum tempus, solum ablativus datur. Quando venisti? Horâ tertiâ. Ovid. *Mense malas Maio nubere vulgus ait.* Quanto tempore hæc scripsisti? Tribus horis. Ovid.

Si quoties peccant homines, sua fulmina mittat
Jupiter, exiguo tempore inermis erit, id est intra exiguum tempus.

REGULA SEPTIMA.

Quantum sit spatium, quarto vel dicito sexto:
Aut ubi quid factum, sexto tantummodò prome.

Verbum eundi & distandi regit accusativum vel ablativum distantiæ aut spatij, ut ambulavi septem millia, vel millibus. Colonia abest hinc iter, vel itinere quatuor dierum. Plaut. Euclio. *Si herclè tu ex isthoc loco digitum transversum aut unguem latum excesseris, continuò herclè ego te dedam discipulam cruci.*

ANNOTATIUNCULA.

Distantiæ casus aliquando subauditur. Cicer. *Nos properabamus in castra, quæ aberant bidui.* Cum dicimus, iv duo millia, subauditur genitivus (passuum) quia miliare continet propriè mille passus, continet autem passus quinq; pedes.

Matt. *Te tamen ut videam, duo milia non piget ire:*
Ut te non videam, quatuor ire piget.

(*Aut ubi quid factum sexto*, &c.) Ubi quid factum sit, eloquemur solum per ablativum: ut Captus est latro sexto ab urbe lapide, non sextum lapidem. Sed opus est ut nomen distantiæ sit, alioqui præpositio adderetur: ut *Joannes Baptista decollatus est in carcere.*

Ut propiùs, sic proximè amat sibi jungere quartum.
Proximus at propior poscunt sibi nomina ternum.

REGI-

REGULA PRIMA.

NAturâ faciens regitur sine præpositurâ
In sexto, à verbis permultis, mobilibusque.
Hic dabis efficiens quodcunque, modò bene possis
Hoc *per*, *præ*, *propter*, referare: *Pudore tacemus*,
Te virtute colo. Tardus senio. Gravis ære,
Rex dono Christi: *divino numine præsul*.

Omne fer verbum & plurima adjectiva regere possunt ablativum causæ efficientis, præcipuè naturalis & internæ: cui ablativus declaratur per præpositionem, *per*, vel *præ*, vel *propter*. Exempla de verbis; Taceo pudore, rubesco ignominia. Hic stupet virio. Pingueſcit glis somno: Feci amorem, id est propter pudorem, ignorantiam, &c. aut præ pudore, &c. Cicer. ad Pæt. *Mirificè capior facetijs, maximè nostratibus.* Ambros. *Peccator quamvis foris abundet, & delicijs fluat, odoribus fragret, in amaritudine animæ suæ vitam exigit.* Horat. --- *Hic murus aheneus esto, Nil conscire sibi, nullâ pallescere culpâ.* Idem. *Imberbis juvenis, tandem custode remoto, Gaudet equis canibúsque, & aprici gramine campi.* Exempla de adjectivis: Pallidus morte, albus frigore, tardius senio, gravis ære, superbus honore, id est propter mortem, frigus, &c. Plin. *Utica Catonis morte nobilis.* Quintil. *Aristotelem dubito scientiâ rerum, an scriptorum copiâ, an eloquendi suavitate, an inventionum acumine, an varietate operum clariorem putem.* Quædam substantiva, ut dignitatum, nomina regunt, ablativum efficientis, ut Dei gratia Rex.

REGULA SECUNDA.

Materies ex qua raro sine præpositurâ
Ponitur: ut *Fulvo nummos cudit faber auro.*

Materia ex qua aliquid fit, in ablativo exprimitur sæpius cum præpositione *de*, *e*, vel *ex*: ut Faber facit ex auro caliem. Homo factus est de limo terræ. Aliquando præpositio subauditur, sed fere apud poëtas, ut apud Virg. *Ære cavo clypeus.* -- --- *Sectáque intexunt abiete costas.*

Quin tu aliquid saltem potiùs, quorum indiget usus,
Viminibus, mollique paras detexere junco?

REGULA TERTIA.

Materiam circa quam proprietas habet *esse*,
Mobile cum verbo sexto capit: *auctus honore*,
Lacteque distentus. Sic adjectiva dabuntur
Plurima cum verbis *fungor, vescor, fruor, utor*,
Victito, fraudo, beo, dono, afficio, colo, sterno,
Cum multis junges, quæ prosa recludet abundè.

Plurima adjectiva & verba regunt in ablativo materiam circa quam proprietas versatur. De adjectivis, ut Auctus muneribus. Uber distentum lacte. Duplex auro, Vir duplex animo. Præditus virtute. Cic. in Verrem. *Homo singulari cupiditate, audaciâ, scelere præditus: lentus gradu, dulcis eloquio, benignus naturâ, promptus linguâ, tardus manu.* Licet hîc sit materia, cui quid inhæret, tamen dici quoque potest materia circa quam fit aliquid.

Exempla de verbis: fungor, defungor magistratu; vescor carne, fruor amici conspectu. Utor, abutor nummo. Victito lacte, fraudo te jure, beo te divitijs, dono te equo, afficio te honore, colo te modico munere, sterno lectum tapetis, prosequor te laude, id est, laudo te. Sic prosequor te odio, amore, benevolentiâ. Pascor herbis, passivi generis est, pascor herbas, deponens est, Dignor te laude, id est, dignum judico.

Virg. -- *haud equidem tali me dignor honore.*

Mutat aurea æreis. Horat.

Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.

Tempero me vino, vel à vino. Conficior mœrore, senectute, tristitiâ. Frustro, aut frustror te spe, id est decipio, frustror expensas, id est frustra ago. Multa tam nomina quàm verba huc referri possunt, quibus ex ordine instituto nona in constructione genitivi data est regula. Fungor, vescor, fruor, utor, inveniuntur etiam cum accusativo. De impertior & dono, latiùs in dativo dictum est; in regulâ *Acquisitivè si ponas verba, &c.*

REGULA QUARTA.

Forma modúsve datur per casum rite Latinum.

Nomen

Nomen formæ vel modi regitur in ablativo à verbo & adjectivo nomine, aliquando etiam à substantivo, quotiescunque apta fieret interrogatio per quomodò; ut si quis quærat, quomodo cantabimus? aptè respondebis, submissâ voce, gravi accentu. Sic Aspicio te torvis oculis. Facies miris modis pallida. Ovid. 1. Epist.

Tres sumus imbelles numero. ---

Nomine Petrus, Cognomine Paulus, Nomine Grammaticus, re Barbarus. Præceptor consilijs. Rex titulo.

Virg. --- *Trojanus origine Cæsar.*

Non injuriâ id feci. More meo doceo, Jure meo hoc mihi vendico. Recito dulci prolatione.

REGULA QUINTA.

Mobile vel verbum mensuram dat sibi quarto
Vel sexto, *longus treis ulnas*, vel *tribus ulnis*.

Adjectivum nomen vel verbum regit mensuræ nomen in accusativo vel in abl. ut hic pannus est longus tres ulnas, vel tribus ulnis. Pl. de Babylone *Muris ducentos pedes altis quinquagenos latis.* Plaut. *Comesse panem tres pedes latum potes.* In sacris. Erat autem Ninive magna itinere trium dierum.

Pers. --- *Nugaris cum tibi, calve,*
Pinguis aqualiculus propenso sesquipede extet.
Adjectiva quibus dimensio significatur,
Sunt longus, latus, crassúsque, profundus, & altus.

REGULA SEXTA.

Mensuram, excessûs verbum vel mobile sexto
Optat: ut *excedo digito, pede longior uno.*

Dictio significans excessum regit ablativum, qui significat excessûs quantitatem certam vel incertam, ut sum te longior capite.

Hoc lignum excedit illud digito. Sum te modico doctior, multo fortior. Juvenal. dixit de Pygmæis.

--- *tota cohors pede non est altior uno.*

REGULA SEPTIMA.

Passivis sextum dabimus cum præpositurâ
A vel *ab*. *Accipiens* sic *do, distans, removensque.*

Sic *alius* ponas, & quæ conformia nôris.

Omne verbum passivum potest regere post se ablativum intercedente præpositione à vel ab, ut Amor à Petro, liber legitur à Magistro, vapulans à Præceptore, Infans osculatur à matre. Horat. ----- *Laudatur ab his, culpatur ab illis.*

Quintil. *Fabricius respondit se à cive spoliari malle, quàm ab hoste venire.*

Annotatiuncula de constructione impersonalium iu tur. Passivum verbum hic voco, non solum quod est passivi generis, sed quodcunque pati significat, sive in *o* sive in *or* denit. Et adduntur passivæ vocis impersonalia, licet activè significent, quæ præter ablativum post se regunt casum suorum verborum: ut Tibi reclamatur ab omnibus. Cicer. *Nihil est à me inservitum tempori.* Sed cavendum, ne eis quæ veniunt ab activis & à neutris accusativum regentibus accusativum apponas: non enim sic loquerer, à me legitur Matthæum, à te aratur terram, sed personaliter, à me legitur Matthæus, vel lego Matthæum, à te aratur terra, vel tu aras terrã. (*Accipiens sic do, distans, removensque.*) Verba accipiendi, distandi & removendi, regunt ablativũ cum præpositione à vel ab. *Accipiendi*, ut Accipio, recipio, audio, disco, quæro, habeo, intelligo, conduco, spero, expecto, nascor, &c.) *Binas à te recepi literas.* Terent. *Disce ab his qui verè sciunt.* Publ. *Ab alio expectes alteri quod feceris.* Tacit. *Nasci à principibus fortuitum est.* Fœnero vel fœneror tibi, id est pecuniam ad usuram do. Fœnero vel fœneror abs te, id est ad usuram accipio. Contra Vallam, teste Mancinello. *Distandi & removendi*: ut disto, refero, absum, abeo, recedo, discedo, alieno, amolior, divido, segrego, arceo, abhorreo, averto, aufero, &c. ut Longè distat à nobis India. Absum ab Italia. Suet. *Nec abhorret à veritate.* Horreo, abhorreo hanc rem, id est, abominor, exector, aut formido. Aufer à nobis Domine iniquitates. Averte iram tuam à nobis. Supersedeo sæpiùs legitur cum ablativo quàm accusativo. Cicer. *Supersedeas hoc labore itineris*, id est omittas venire.

Annotatiuncula generalis.

Verbis hujus regulæ aliquando datur Ablativus omissâ præpositione. Suet. in Domitia: *Philosophos omnes urbe Ita-* [illegible] *movit.*

Horat.

Horat. -- *Aliorum opprobria sæpe Absterrent vitijs,* --

Idem. *Vivere si rectè nescis, discede peritis.*

(Sic alius ponas) Quædam adjectiva regunt ablativum cum a vel *ab*: ut alius ab illo. Sic alter, diversus & primus à lege. Secundus à Principe, integer à vitijs. Castus à Vesta, Romulus oriundus est Trojâ, vel à Trojâ. De Vacuus & alijs quibusdam, dictum est in constructione genitivi.

REGULA OCTAVA.

Instrumenta dabis sextis sine præpositurâ.

Quodvis verbum potest regere instrumentum in ablativo, cui nullo modo addi potest præpositio: ut Scindo panem cultro. Cædo lerulâ, Impuli te pugno, Peto te stricto gladio. *Concordiâ res parvæ crescunt, discordiâ maximæ dilabuntur.*

Horat. *Reges dicuntur magnis urgere culullis,*
Et torquere mero, quem perspexisse laborant,

Virg. *Nullus ubique potest felici ludere dextrâ.*

ANNOTATIUNCULA.

Ubi non instrumentum significamus, sed comitem, quem modum actionis vocant, licet præpositionem addere, teste Valla: ut Acceptus est à nobis cum honore. Magna cum benevolentia scripsit. Cum mirâ affabilitate me alloquutus est.

REGULA ULTIMA.

Absque regente, duos sextos bene pone sequelæ.

Discunt discipuli, me Præceptore docente.

Quoties duæ orationes nominativi & verbi sic se habent: ut alteri apponatur talis particula dum, quando, postquam, aut similis: lepidè priorem mutamus in duos ablativos, qui non reguntur, sed ponuntur absolutè: ut pro, dum magister legit, pueri scribunt, eleganter dicitur, magistro legente pueri scribunt. *Sic. Magi apertis thesauris obtulerunt munera. Augusto regnante natus est Christus, Tiberio imperante crucifixus.* Ter. *Me impulsore non fecit.* Horat. de sene. *Laudator temporis acti se puero,* id est cum ipse esset puer.

ANNOTATIUNCULA.

Dicitur ablativus sequelæ sive consequentiæ, quia aliquid

ex

ex alio denotatur sequi: ut Sole lucente evanescunt tenebræ. Dicitur absolutus, quia non regitur.

In postremum hunc locum (ne quid transiisse dicamur) paucula explicatæ Syntaxi, de gradibus comparationum rectè statuendis, & legitimâ adverbiorum, & conjunctionum cum verborum modis consensione, operæpretium subjicere duximus, ut hisce adminiculis, promptiùs & puriùs adjuti adolescentes orationem forment Latinam.

Valdè, apprimè, unicè, impensè, abundè, admodùm, per, perquam, cumprimis, imprimis, sanè, oppidò, tam, quàm, & quæ in um desinunt, parum, multùm, nimiùm, tantùm, quantùm, aliquantùm, aliáque id genus, positivis ferè adhærent. Cic. *Socer hujus vir multùm bonus.* Plaut. *Timida es aliquantulum soror.* Terent. dixit cum comparativo, *aliquantulum ad rem avidior.*

Comparativis apponuntur plerumque hæc. Paulò, nimiò, aliquantò, tantò, quantò, quò, eò, vel hòc, multò, modicò, longè. Cicer. *Paulò deteriùs valeo, quàm soleo.* Virg.

At pedibus longè melior Lycus. ---

Adduntur superlativis sæpiùs, Multò, longè, facile, cùm haud dubiè significat: quàm pro valde, quàm pro quantum, verbo possum junctum. Tam, quàm, dum se mutuò consequuntur, pro, ut, ita. Sallust. *Quàm quisque pessimè facit, tam maximè tutus est.* Sic tantò, quantò, apud Cat.

Tantò pessimus omnium Poëta,
Quantò tu optimus omnium Patronus.

De quorundam adverbiorum modis.

Indicativum petunt.
- Ut pro postquã. Ter. *Ut ventum est in urbem.*
- Dum. Idem. *Dum ætas tulit*, pro quamdiu.
- Donec. Ovid. *Donec eris felix.*

Subjunctivo adhærent.
- Ne prohibentis. Ne facias, aliquando imperativo jungitur. *Ne sævi tantopere.*
- Dum, pro dummodo. Ter. *Dum prosim tibi.*
- Quasi, ceu, tanquã, perinde, ac si, haud secus.

Quum

Quum proprium ſuum verbum habent.
Tanquam feceris ipſe aliquid: *Quaſi non nôrimus nos inter nos*, aliter copulant.
Antequam, priuſquam. Ter. *Priuſquam pereo.*

Indicativis gaudent vel Subjunctivis.

Næ, pro profectò, pronominibus præpoſitũ:
Næ ego ſum homo infelix.
Similitudinis adverbia, quemadmodũ, ut, utcunque, ſicut, *Ut ſementẽ feceris, ita & metes.*

TEMPORIS.

Simul, ſimulac, ſimulátque, quum, antequam, ubi, poſtquam. quàm. Ter. *Priuſquam pereo*; dum, & donec, quoad, vel quouſque.

Poſt has voces, adeò, ita, ſic, tam, talis, tantus, tot, non ponitur *quòd*, ſed *ut*, cum ſubjunctivo. *Cic.* Adeóne ignarus es, ut hæc neſcias?

Aliter, ſecùs, contra, aſciſcunt, ac, atque, quam. Ter. *Non ſecùs, ac ſi meus eſſet frater.* Idem. *Neque aliter contrà quàm cenſeo loquor.*

Perinde & proinde, quod idem ſignificat, aſciſcunt à tergo, atque, ut, quaſi, ac, acſi. Plaut. *Perinde res omnes ſunt, ut eas magni facias.*

Plus & amplius, junguntur nominativo & accuſativo, ſed quàm ſubauditur. Terent. *Plus quingentos colaphos infregit.* Cic. *Amplius ſex ſunt menſes.* Vi ſuâ regunt ablativum ut caſum proprium: plus anno. Amplius tribus digitis.

NEDUM.

Nedum ſecundam in clauſula partem tenet. In oratione affirmativâ jungitur rei minoris momenti. Effunderem pro te ſanguinem, nedum pecuniam. In oratione negativâ jungitur rei majoris momenti. *Non funderem pro te pecuniam, nedum ſanguinem.*

Non ſolùm, non tantùm, non modò, priorem ſenſum occupant. Affirmando cum eo quod minus eſt, Negando cum eo quod majus eſt. Non ſolùm pro te non moriar, ſed nec pugnem.

De modis quos expetit Conjunctio.

Indicativum poſtulant quanquam, etſi, in principio ſtatim ſententiæ: in medio etiam ſubjunctivum. *Cic.* Etſi veteor, judices.

Quando

Quando, quandoquidem, quatenùs pro ſiquidem, quoniam.

Quippe cùm proprium habet verbum. *Danda illi venia, quippe ægrotat*: ſi addideris, qui, quæ, quod, fere ſubjunctivo adhæret. *Non eſt illi venia danda, quippe qui pejeraverit antea.* Niſi in principio ſententiæ.

Ne, an, num, interrogandi particulæ. Terent. *Num cogitat, quid dicat?*

Siquis, ſiquis adeſt. Mirum, ni, Subjunctivis ahærent ſæpiùs, quamvis, licet: Ni, quòd pro ut, Utqui, utpote qui, quippe qui. Quo pro ut cauſali, Cùm pro quamvis vel quoniam: ut pro quamvis. *Servi ut taceant, jumenta loquentur.* Ne dubitantis pericula. Ter. *Timet ne deſeras ſe.*

Aliquando Indicativum; aliquando Subjunctivum amant.

Tametſi, etiamſi, niſi, ſi, ſiquidem, quia & quod, cauſam notans.

Ut gaudet Indicativo pro.
- quam. Plaut. *Ut nunc malè eum metuo miſer.*
- poſtquam. Virg. *Ut Regem vidit.*
- nota interrogandi: *Ut vales?*
- particula admirantis. Virg. *Ut vidi, ut perij?*

Ut Subjunctivum poſtulat cum
- pro quamvis: *Ut deſint vires, tamen eſt laudanda voluntas.*
- Imprecationi ſervit: *Ut te dij perdant.* Cum cauſam finalem notat, *Orat ut ad ſe venias.*
- Poſt verba, timeo, metuo, vereor, eleganter ponitur ut, pro ne, vel ne non. *Metuo ut ſubſtet hoſpes.*

Conjunctiones geminatæ.

Cùm præcedens, tum ſequens indicativum poſcunt, ſed cùm præcedit cum minore, tum ſequitur cum majore, Odit eùm literas, tum virtutem. Et &, tum tum, nec neque, paria vel imparia connectunt. *Vir tum doctus, tum pius.*

AUTEM VERO.

Autem ſequitur particulam non, vel porrò, non autem, porrò autem.

Verò

Verò sequitur has particulas, Nec, neque, tum, ne, sanè, an, at, enim, quasi, nunc. Item pronomina, Ego, tu, ille. Ergo & igitur brevioribus conclusionibus serviunt: Quare quamobrem longioribus, cùm conjunctiones sunt.

FINIS.

GRAMMATICÆ DESPAUTERIANÆ

LIBER IX.

De Ordine declarationis Grammaticæ, & de Syntaxi reciprocorum.

Ordo Grammaticæ declarationis.

Optandi debent adverbia sive vocandi
Sumere principium: veluti interjectio sæpe,
Ecce, *Age*, & *heus*. Post hæc casum decet addere quintum.
Hinc rectum sequitur verbum. Tibi sit generalis
Regula, quæ à tergo regitur, vult dictio cuncta
Postponi. Si quid declarat, juris idem sit.
Si quid sit tacitè positum, supplere jubebo.

Regulæ in ordine Grammaticæ declarationis observandæ sunt septem. Prima regula. Excitandi particulæ: ut adverbia optandi, vocandi, demonstrandi, hortandi, & respondendi, & interjectiones plerumque sumunt principium in ordine Grammaticæ declarationis. Secunda. Post hæc sequitur vocativus. Tertia. Post Vocativum sequitur Nominativus à fronte verbi rectus. Quarta. Post nominativum sequitur verbum personale finiti modi. Semper intelligo si sit in oratione, nam si hæc abfuerint, ab impersonali incipimus: ut

Tædet animam meam vitæ meæ. Quinta. Dictio recta à tergo sequitur dictionem regentem. Itaque post verbum personale aliquando sequitur nominativus: ut Sum homo: aut genitivus, ut miserere tui: aut dativus, servio Deo: aut accusativus, ut Amo Deum: vel ablativus, ut careo nummis. Sexta. Declarans declarato postponitur: ut adjectivum substantivo, adverbium verbo, infinitivus finito. Item infinitivus & supinum, & gerundium postponuntur adjectivo: ut Certus mori, aut moriendi; turpe dictu. Præpositio cum suo casu postponitur verbo per hanc regulam: quia ipsa cum casu declarat significationem verbi: ut adeo ad forum. Septima. In declaratione orationis diligenter videndum est an aliquid subaudiatur, quia hoc suppleri debet: ut *Miseram me! vereor*, subauditur *ô* vel *heu*. Unde mihi lapidem. Hebræi sunt, & ego.

Sex à dictis regulis exceptiones.

Quod *rogat* atque *refert*, & habet quod vim referentis (Ut quod verba petit semper duo, *dum*, *quia*, *donec*,) Atque *negans*, præit. Ob Logicam mutabitur ordo, Præcedens semper præponitur & referenti.

PRIMA EXCEPTIO.

Interrogativum semper præcedit, ideò ab obliquo vel adverbio sæpè inchoamus ordinem: ut, quem quæritis? Ubi vidistis hominem? Quem tædet vitij?

SECUNDA.

Nomen relativum, & hinc adverbium, præcedit dictionem à quâ regitur: ut, Hic est quem videre cupivi. Vidi campum ubi Adam habitavit. Virg.

--- O térque quatérque beati,
Queis ante ora patrum, Trojæ sub mœnibus altis
Contigit oppetere. ---

TERTIA.

Dictiones vim relativam habentes, ut quæ ad sensus perfectionem plura verba petunt, debent in declaratione Grammaticâ præcedere. Tales dictiones sunt nomina vel adverbia infinita, cum, deinde, deinceps, sic, sicuti, dum, quando, quia,

quia, quoniam, licet, postquam, quàm quamvis, & similia hisquamplurima.

QUARTA.

Dictio negativa debet præcedere: ut, Neutiquam faciam. Neminem video. Adverbium prohibendi etiam negandi vim habet, ergo præcedit: ut Ne feceris.

QUINTA.

Propter Dialecticorum præcepta oportet interdum contra dictas regulas partes orationis ordinare: ut *Cuique homini anima est. Aliquo homine ditior sum. Hominem cognosco.* Et similia, quæ tamen à doctis interim spernuntur. *Sonorum alius vox, alius non vox.*

SEXTA.

Relativum necessariò postponitur antecedenti, ideò obliquus contra dictas regulas aliquando præponitur nominativo aut verbo: ut *Ciceronis indiget suus filius. Patrem sequitur sua proles.*

De Reciprocis.

REciprocum, est relativum reflexivum, quod ad id unde prodijt revertitur, ut primitivum sui, & derivativum suus: velut, iste amat se: ecce, hic amor reflectitur ad amantem. Sic iste diligit filium suum, hîc dilectio tendit in rem diligentis. Ut autem facile pateat ad reciprocorum notitiam iter, ante omnia diligenter considerandũ est principale suppositum, ad quod fieri debet reciprocatio: ut *Superbus est sui laudator.* Pub. *Avarus ipse miseriæ causa est suæ.* Expectat te Joannes, ut se juves. Principale suppositum est Joannes. Sic in omnibus orationibus de ut, & ne, principale suppositum, est suppositum prioris orationis: veluti Magister præcipit ut ad se venirem, Joannes timet ne sibi noceam. Joannes diligit Petrum & fratrem suum, de fratre Joannis intelligitur: Joannes diligit Petrum & fratrem ejus, de fratre Petri intelligitur: quia hîc ad obliquum, illic ad principale suppositum fit relatio. Ideò in Evangelio benè dicitur: *Surgens accepit*

accepit puerum, & matrem ejus nocte. Et *vocabis nomen ejus* JESUM. *Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum. Eorum* dixit, non *suis*, ne de peccatis JESU, quæ nulla fuêre, loqui videatur. Vertit autem interpres *eorum* pro *ejus* Matthæus enim Græcus pluralem genitivum autôn habet.

Annotatiuncula.

IN Reciprocis multi errârunt, aut ipsis ex industriâ abusi sunt, ut *Laur. Valla* ostendit: sed cautè videndum est ad quid fiat relatio; ne non ille, sed nostra erret censura: ut apud Horatium.

Aut famam sequere, aut sibi convenientia finge.

Georg. Valla vult *sibi* pro *ei* poni, quod verum non est, quia sibi ad famam non refertur. Sed sensus est, *finge convenientia sibi*, id est, ea quæ sibi ipsis non adversentur; verum inter se aptè cohæreant, ne monstrum nascatur tale, ut nec pes, nec caput uni reddatur formæ.

FINIS.

DES. ERASMI ROTERODAMI,

De ratione studij, ad Christianum Lubecensem Epistola Paræneticа.

CUm te incredibili quodam ardore literarum flagrare minimè dubitarem, Christiane non vulgaris amice, hortatore nihil opus esse putavi, sed ejus, quam ingressus esses, via duce modo, ac tanquam indice. Id quod mei officij esse judicavi, videlicet ut tibi homini non modo multis modis copulatissimo, verum etiam jucundissimo, vestigia, quibus ipse à puero essem ingressus, commonstrarem. Quæ si tu pari curâ accipies, quâ ego dicturus sum, futurum confido, ut neque me monuisse, neque te paruisse pœnituerit. Prima igitur cura sit, ut Præceptorem tibi deligas quàm eruditissimum: neque enim fieri

quæs, ut is rectè quenquam erudiat, qui sit ipse ineruditus. Quem simulatque nactus fueris, fac modis omnibus efficias, ut ille patris in te, tu filij vicissim in illum induas affectum. Ad quod quidem cum ipsa honesti ratio nos debet adhortari; quod non minus debeamus ijs, à quibus rectè vivendi rationem, quàm à quibus vivendi initia sumpsimus: tum ista mutua benevolentia tantum ad discendum habet momenti, ut frustra sis literarum Præceptorem habiturus, nisi habueris & amicum. Deinde ut te illi & attentum, & assiduum præbeas. Contentione enim immodicâ nonnunquam obruuntur ingenia discentium: assiduitate verò, & mediocritate suâ perdurat, & quotidianis incrementis majorem opinione accruum accumulat. Satietate, cùm in omnibus rebus, tum in literis, nihil perniciosius. Laxanda est igitur aliquoties illa literarum contentio, intermiscendi lusus, sed liberales & literis digni, & ab his non nimis abhorrentes: imo medijs ipsis studijs perpetua quædam voluptas est intermiscenda, ut ludum potiùs discendi, quàm laborem existimemus. Nihil enim perquam diu fieri potest, quod non agentem aliquâ voluptate remoretur. Optima quæque statim ac primum disce. Extremæ est dementiæ discere dediscenda. Quod in curando stomacho solent præcipere Medici, idem tibi in ingenijs servandum puta, Cave ne aut noxio aut immodico cibo ingenium obruas, utroque enim juxta offenditur. Ebrardum, Catholicon, Brachylogon, cæteroſque id genus, quos percensere neque possum, neque operæpretium est ijs relinquito, quos Barbariem immenso labore discere juvat. Initio non quam multa, sed quam bona percipias refert. Sed jam rationem accipe, quâ possis non solùm rectiùs sed etiam facilius discere. Hoc enim in homine artifice præstare solet artis ratio, ut tantundem operis, cùm rectius expeditiusque, tum leviùs etiam efficiat. Diem tibi in operas partire, id quod & à Plinio secundo, & à pio Pontifice Maximo, viris præstantissimis factitatum legimus. Principio, quod caput est, Præceptorem interpretantem non attentus modo, sed & avidus auscultato. Non contentus impigrè sequi disserentem, aliquoties prævolare contende. Omnia illius dicta memoriæ, præcipua etiam literis mandabis, fidelissimis vocum custodibus. Quibus rursus ita confidas cave, ut dives ille ridiculus apud Senecam, qui

sic animum induxerat, ut se tenere crederet, quicquid servorum quisquam meminisset. Noli committere, ut codices habeas eruditos, ipse sis incruditus. Audita ne effluant: aut apud te aut cum alijs retracta, nec his contentus, aliquam temporis partem tacitæ cogitationi tribuere memento, quam unam D. Aurelius tum ingenio, tum memoriæ imprimis conducere scripsit. Conflictatio quoque & tanquam palæstra ingeniorum, nervos animi præcipuè tum ostendit, tum excitat, tum adauget. Nec scisciteri, si quid dubitabis; nec castigari, si quid errabis, sit pudor.

Nocturnas lucubrationes, atque intempestiva studia fugito: nam & ingenium extinguunt & valetudinem vehementer offendunt. Aurora Musis amica, est apta studijs. Pransus, aut lude, aut deambula, aut hilariùs confabulare. Quid quod inter ista quoque studijs locus esse potest? Cibi non quantum libidini, sed quantum valetudini satis sit sumito. Sub cœnam pauliſper inambula: cœnatus idem facito. Sub somnum exquisiti quippiam, ac dignum memoriâ legito. De eo cogitantem sopor opprimat: id exporrectus à teipso reposcas. Plinianum illud semper animo insideat tuo: Omne perire tempus quod studijs non impertias. Cogita juventâ nihil esse fugacius, quæ ubi avolârit semel, redit nunquam. Sed jam hortator esse incipio, indicem pollicitus. Tu suavissime Christiane, hanc formam, aut si quam poteris meliorem, sequere, ac benè Vale.

RATIO STUDII.

Quis sit modus repetendæ Lectionis.

QUibusdam prima, ac unica ferè cura est statim ad verbum ediscere; quod quidem non probo. Est enim magni laboris, tum fructûs propè nullius. Quorsum enim attinet, psittaci more, verba non intellecta reddere. Commodiorem igitur viam accipe. Lectionem quidem auditam continuò relege: ita ut universum sententiam paulò altiùs etiam animo infigas: Deinde à calce rursus ad caput redibis, &

& singula verba excutere incipies: ea duntaxat inquirens, quæ ad Grammaticam curam attinent. Videlicet, si quod verbum obscurum, aut ancipitis derivationis: si Heteroclitæ conjugationis, quod supinum, quod præteritum faciat, quos habeat majores, quos nepotes, quam constructionem, quid significet, & hujusmodi nonnulla.

Hoc ubi egeris, rursum de integro percurrito, ea jam potissimum inquirens quæ ad artificium Rhetoricum spectant. Si quid venustius, si quid elegantius, si quid concinnius dictum videbitur, annotabis indice, aut asteriſco appositio. Verborum compositionem inspicies, orationis decora scrutabere, authoris consilium indagabis, quâ quidque ratione dixerit. Ubi quid te delectaverit vehementius, cave præter ratiam (quod aiunt) fugias, fige pedem, ac abs teipso rationem exige, quare tantopere sis eâ ratione delectatus, cur non ex cæteris quoque parem ceperis voluptatem. Invenies te acumine, aut exornatione aliquâ oratoriâ, aut compositionis harmoniâ, aut, ne omnia persequar, simili quapiam causâ commotum fuisse. Quod si aliquod adagium, si qua sententia, si quod adverbium vetus, si qua historia, si qua fabula, si qua similitudo non inepta, si quid breviter, acutè aut alioquin ingeniosè dictum esse videbitur, id tanquam thesaurum quendam animo diligenter reponendum ducito ad usum, & ad imitationem. His diligenter curatis, ne pigeat quartò iterare. Nam hoc habent eruditorum virorum summo ingenio, & summis vigilijs lucubrata scripta, ut millies relecta magis magisque placeant, semperque admiratori suo novum miraculum ostendant. Id quod tibi in tabulâ tua sæpenumero; nec sine causâ laudatâ evenire solet, quod antea non animadvertisses: idem tibi multo ampliùs in bonis auctoribus eveniet.

Releges igitur quartò, ac quæ ad Philosophiam, maximè verò Ethicen, referri posse videantur, circumspicies: si quod exemplum quod moribus accomodari possit. Quid autem est ex quo non vel exemplum vivendi, vel imago quædam, vel occasio sumi queat? Nam in aliorum pulchrè aut turpiter factis quid deceat: quid non, juxta videmus. Hæc si facias, jam vel edidiceris, quanquam aliud egisti. Tum demum

demum si libet, ad ediscendi laborem accedito, qui tum aut nullus erit, aut certè perquam exiguus. Quid deinde? Restat ut cum studiosis congrediaris, tuas annotationes in medium proferas, vicissimque aliorum audias, alia laudabis, alia reprehendes, tuas partim defendes, partim castigari permittes. Postremò, quod in alijs laudâsti, tuis in scriptis imitari conaberis. Secreta studia à doctis laudantur: at ita ut postea è latebris in arenam prodeamus, viriumque nostrarum periculum faciamus. Id quod sapientissimè à Socrate est dictum. Experiamur utrum partus ingeniorum vitales sint, nimirum obstetricum industriam imitati. Quare alternatim utrisque utetur, qui non vulgariter volet evadere doctus. Vale.

FINIS